

HORATII BELLINI
ASTENSIS
AA. LL. MAGISTRI
PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ DOCTORIS

DE APOPLEXIA
TRACTATUS
MEDICO - PRACTICUS
CUI ACCEDUNT

Commentaria textus 52. Sect. 2. lib. 7. de Judicationibus, & textus 17. Sect. 2. Cap. 3. Prognosticorum Hippocratis.

ROMÆ MDCCXC.
TYPIS JOACCHIMI PUCCINELLI.

Superiorum facultate.

Næ ægri quidem, quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla est?
Cicero lib. 2. de Natur. Deorum.



CLARISSIMO VIRO

GEORGIO BONELLI

Totius Ecclesiastici Status Protomedico Generali, Medicinæ Practicæ in Romano Archilyceo, P. P. O. Regiæ Scientiarum Paris, & Neapolet. Academiæ Socio.

HORATIUS BELLINI FELICITATEM.



Uum opus, cujus primordia, TE inter judices sedente certamine publico *, ex Hippocrate nata sunt,

* Ade quo te vocat nota præfationi subjecta.

Hippocratici Philosophi præsidium postulare videretur; nihil mihi potius fuit, quam ut Summi Judicii, Prudentiæ, Doctrinæ, Auctoritatis, Gravitatis, Comitatis, Urbanitatis, Dignitatis, Pietatis, & Caritatis Virum a Divino Sene suis in libris de Medico 1, de Decenti Ornatu 2, & de Perceptionibus 3 descriptum invenirem: Non multum hæsit in delectu animus; subito namque sensi, TE SAPIENTISSIMUM ARCHIATRUM a Summo Medicinæ Parente indicari voluisse: Archetypo sane perfecte respondet exemplar: Una omnium vox est, & judicium: Refugiat quantum velit modestia tua; Nemo omnes, ne-

1 Cap. 1.
2 Cap. 1. & 3.
3 Cap. 2. Editionis Makianæ.

neminem omnes fefellerunt. Unum supereſt TIBI, ut ea, qua soles humanitate, conatus hosce meos libenter excipias, & tueare. Vale

Romæ Idibus Juniis MDCCXC.

PRÆFATIO.

TEterrimum morbi genus, quod hominis corpus, mentemque, uno quasi fulminis ictu, prosternit, quodque primi Medicinæ Patres diversis nominibus designarunt, cujus caussæ multiplices, variæ, inextricabiles, subsequentium Medicorum fatigarunt ingenia, ideo investigandum suscepi, non quod ejus naturam, & indolem expedire, aptamque illi curationem præ cæteris tradere valeam, quod, tot, tantique præstantes in Arte Viri ad nostra usque tempora magno ejusdem incremento fecerunt; sed ut plenius exponerem ea, quæ in publica Exegesi *textus* 52. *Sec.* 2. *Cap.* 7. *de Judicationibus, præ temporis angustia, locique gravitate, curio-*

riosius investigare non licuit *, *ut ea deinde, quæ ad morbi hujus signa, caussas, prognosim, & curationem attinent, alia ex aliis, partim ex meis observationibus, Medicorum utilitate, uno aspectu exhiberem, ut denique, dirissimo hoc morbo jacentibus, quorum hodie ubique, sed in hac Orbis florentissima Urbe præsertim frequentior est numerus, pro virili, scriptis meis medicas manus aliquando præberem.*

* Vide monitum Comm. præfixum in Appendice.

APPROBATIONES.

SUmma cum voluptate legi, relegique Commentaria hæc tua, quæ cum litteris tuis accepi, eaque digna censeo quæ Societati nostræ Regiæ Londinensi tradantur.

Dabam Londini die 20. Januarii 1790.

Georgius Baker Eques Auratus, Magnæ Brittaniæ Regis Archiater, Collegii Medicorum, & Regiæ Societ. Lond. Socius.

SOno molto tenuto alla gentilezza del Sig. D. Orazio Bellini per avermi procurato l'onore di leggere il Manoscritto dell'Apoplessia. Ho ammirato lo stile elegante, la profonda erudizione, e le savie riflessioni che adornano quest'Opera. Mi lusingo che il dottissimo Autore continuerà ad impiegare i suoi talenti in vantaggio dell'Arte salutare, cioè per profitto, e bene dell'Umanità. Questi sono i sinceri sentimenti dell'animo mio.

Napoli 25. Marzo 1790.

Domenico Cirillo Publico Lettore di Medicina nella Reale Università di Napoli.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. Xaverius Passeri Arch. Lariss. Vicesg.

JUssu Rmi Patris Sacri Apostolici Palatii Magistri libentissime evolvi Tractatum Medico-Practicum de Apoplexia, atque aliqua ex libris Patris Medicorum Hippocratis ab Auctore, uberrimo, ac perdocto Commentario illustrata, atque adfirmari posse arbitror, quod, quì præsens, ea, qua par est attentione perlegerit, plane, & perspicue Antiquorum mentem cum nuperrimis Magnæ famæ Viris, quo ipsa res clamat, consentiunt omnes, sic perfunctorie tractat, ut certa, & clara signa pro illis curandis, atque dignoscendis, ex suis Dissertationibus addiscat: Cum vero nihil offenderim, quod Cattolicæ fidei, moribusque adversetur, digna censeo, ut Typis tradantur.

Paschalis Adinolfi ex Medicorum Urbis Collegio, Publicus Chemiæ Professor, Instituti Bononiensis &c. Socius.

En

EN Liber mole parvus, rerum præstantia procul dubio magnus: Agit hic de Apoplexia, qua nihil Umano generi infestius, sed cum in caussas solerter inquirit, quæ illam passim inducunt, modosque conscribit, quibus aut præcaveri, aut sanari potis est, rem omnibus præstat utilissimam. Utrum Cl. Bellini perdocto hoc suo Tractatu Medico-Practico, quem ipse, ut morem gererem Rmo P. Mamachio S. P. A. Magistro, quadam animi contentione, nec sine voluptate perlegeram, omne tulerit punctum, Peritorum artis curandi morbos, esto judicium. Ipse cum intelligam, in univeso Tractatu nihil penitus occurrere Fidei Dogmatibus, aut morum regulis adversum; sintque præterea omnia præclara Methodo, Eruditione non longius repetita, atque saniori Critica, & nativo quodam Orationis nitore digesta, dignum censeo, qui quantocius publici juris fiat.

In Conventu Jesù Mariæ Urbis die 9. Junii 1790.

F. Dominicus Nicolaus a Smo Rosario S. Indicis Consultor.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Magist.

De

De Variis Apoplexiæ nominibus

§. I.

1. QUum varium adeo apud Vetustissimos medicinæ Patres affectionis hujus nomen inveniatur, ut eorum volumina pervolventes erroris caligine offundi facile possent, rectus propterea ordo postulat, ut de omnibus, & usitatiori ad eorum mentem assequendam, ante omnia loquar.

2. Sciendum itaque, illos morbo quovis lethali repente correptos, *Ictos*, seu *Percussos*, consueto nomine, vocitasse, hinc est quod Hippocrates,[a] qui, teste Galeno [b], ex manifesto symptomate morbi nomen deducere solebat, Apoplecticos sic designarit; cum enim frequentem in Apoplecticis membrorum, imprimisque faciei, & Fætus [c], & Pleuriticos gangræna peremptos, *ictu* veluti quo-

a Coac. Cap. 23. edit. Duret. de Rat. Vict. in Acut. text. 8. 37.

b Comm. ad Aph. 58. Sect. 7.

c lib. de Morb. Mul. 1. tex. 110.

quodam, & plaga *livescentes*, *& suggillatos* observasset, hac fortasse de caussa, omnes sic affectos, communi *Percussorum* nomine appellavit.

3. Non unam tamen, ea ipsa ratione, Hippocrati familiarem, affectionis hujus vocem fuisse putandum est, cum illos, & *Aphonos*, * & *Sphacelatos*, & *Stupidos* dixerit; Verum liceat animadvertere, ipsum cum Antiquis medicinæ Proceribus *Aphoniæ* vocabulum ad Syncopes, Epilepsias, Apoplexias, Catalepsim, aliosque id genus affectus quoque significandos usurpasse [a], quod nimirum, ut Galenus existimat [b], una hac manifestissima actione, earum omnium, quæ voluntate reguntur, privationem, satis indicari arbitraretur; in reliquis autem morbis, in quibus vocem, non semper, sed tamen aliquando, intercipi animadverterat, ut in morbo acuto, dolore summo, singultu, passione hysterica, *Aphoniam* inter horum symptomata enumerasse [c].

4. Æque

* Aph. 5. Sec. 5. 58. Sec. 7.

a Holler. in Coac.

b Cap. 4. de Rat. Vict. in Morb. Acut. text. 23. Holler. ad Aph. 18. Sect. 7.

c lib. 1. Prorret. passim.

4. Æque tamen certum non est *Sphaceli*, & *Spacelismi*[a] nomine ab Auctoribus librorum secundo, & tertio de morbis [b], Apoplexiam inflammato cerebro supervenientem, significari ; mirum namque videtur, Galenum, hanc unam *Sphaceli* significationem, eo etiam in loco [c] prætermisisse, in quo omnes vocis hujus vires contra Archigenem collegit, eum proinde de summa tantum inflammatione verba fecisse, contendunt nonnulli; verum cum nullus sit de delirio sermo, *Aphoniæ* nomen, & auxilia ad Apoplexiam in cerebri inflammatione admodum suspecta, hisce libris contineantur, merito conjicere licet *Sphaceli*, & *Sphacelismi* nomine, Apoplexiam indicare voluisse.

5. Rarissime autem *Ecelipsis*, seu *Stuporis* nomen usurpasse, deduci, ex eo potest, quod in uno Aph. 14. Sect. 7. ab Hippocrate tali voce notetur; cum ve-

a Galen. lib. 7. de Anatom. administrat. Cap. 13. Matthe. Flacius. lib. de Vir. & Mort. cap. 24. Forest. Observ. Chirurg. 13. in Schol.

b Galen. Comm. 1. in lib. 6. de Morb. Vulgar. & Comm. 2. in lib. 3. eorumd. quos ab altero Hipp. Thesali filio scriptos dicit.

c lib. 2. de Loc. Affect. cap. 7.

vero in *Eclipsi* musculi voluntarii, Galeno, [a] aliisque Græcís docentibus, non resolvantur, minus adeo aptum morbo vocabulum esse puto, quemadmodum etiam minus arridet illud *Præcipitis Concidentiæ*, seu *Cataptosis* Alexandri Aphrodisei, quod ab uno symptomate Apoplecticis, æque ac Epilepticis commune, Apoplexiam designari doceat.

6. Licet Lexicographi Gorreus [b], & Bruno, [c] aliique scripserint Græcos, alii vero asserant etiam Latinos, [d] quos Apoplexia corripuisset *Sideratos* appellavisse, videre tamen adhuc non contigit, aut Græcum id affirmantem, aut alium, qui eorum aliquos, non affirmasse modo demonstrarit, sed locum aliquem attullerit, ex quo talis morbi *etymon* desumi possit; neque postremi [e] significationis hujus exemplum aliquod protulerunt, nec ipse inveni; contra, Plinium, Martialem, Vegetium, Scribonium, & Marcellum *Siderationis* nomine,

a lib. Finit. Medic. pag. 50.
b pag. 60.
c Lexic. Castel. pag. 105.
d Holler. in Schol. ad Aph. 57. Sect. 7.
e Lang. lib. 1. Epist. 25. lib. 2. Epist. 53. Rhod. ad Scribon. num. 101. pag. 168.

ne, non indiscriminatim Apoplexiam, sed partis tantumodo alicujus *Resolutionem*, & voluisse, & descripsisse comperio.

7. Quam *Resolutionis* vocem Latinorum Medicorum Cicero, Celsus,[a] & Paralysi, & Apoplexiæ communem, hoc discrimine, fecit, quod illam particularem, hanc *Nervorum resolutionem universalem* appellarit, & *Resolutos* per omnia membra Apopleticos dixerit.

8. Non uno hoc *Universalis resolutionis* nomine Apoplexiam voluisse communi consensu, Medici docent, cum apertissime scripserit[b]. *Attonitos quoque raro videmus quorum & corpus, & mens stupet: fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: hunc Apoplexiam Græci appellant*. Verum cum summi Viri Morgagnus[c], & Swietten[d] advertissent morbum cap. 27. descriptum, frequenter, ut loquitur Celsus, ubique, hunc vero raro contingere observarint, arbitrati sunt, in postremo *Catalepsim* desi-

a lib. 3. de Medic. cap. 27. pag. 178.
b Idem. lib. 3. cap. 26. pag. 177.
c Epist. Anatom. Medic. 2. sub. initio.
d Comm. ad Aph. Boerhaau. 1007.

signari voluisse, quæ non ita frequenter ac Apoplexia occurrit, unde hujus loco *Eclipsiam* verosimiliter legendum, nonnulli judicarunt, licet clarissimus Swietten nullum in Celsi textu errorem irrepsisse, sed eodem Apoplexiæ nomine duos distinctos morbos describi arbitretur, nempe cap. 26. *Catalepsim*, vigesimo vero septimo, Apoplexiam; quare miror, cur in principio Comm. ad Aph. Boerha 1007. dixerit; *a Celso Attonitos vocari, quos Apoplexia corripuisset*.

9. Una porro frequentior, Medicisque omnibus communis affectionis hujus vox est Apoplexiæ, nempe *Percussio*, seu *Ictus*, quod morbo tali correpti, repente veluti *capite icti*, *percussique* videantur, ea ratione, qua animalia fronte percussa prosternebantur, quæque propterea *Apoplitá* vocabantur. Cæterum quoniam vocabulum hoc *obstupescere*, & *attonitu prehendi* quoque significat; idcirco nonnulli, quos inter Swietten, usurpatum fuisse putarunt ad morbum, de quo loquor, significandum, quod, scilicet, eo morbo correpti *Stupidi*, & *Attoniti* aliquando videan-

deantur; ob hanc fortasse caussam, nullum in Celsi cap. 26. errorem irrepsisse, & vere Apoplexiam legendum esse putavit, eo quod Græcorum aliqui, nomen idem ad *Catalepsim* significandam adhibuerint.

10. Advertendum denique est, summum Hippocratem pluribus in locis [a] Apoplexiæ nomine, partis alicujus *Resolutionem* significasse; Suidas vero, & Hesichius, Græcorum nonnullos, hanc vocem *Insaniæ* quoque dedisse, tradiderunt.

[a] lib. 2. Prorrhet. 23. text. 359. 477. 872. 879. Aph. 40. Sect. 7. lib. de Flat. num. 19.

De signis Apoplexiæ diagnosticis

§. II.

1. ETymologia morbi satis, ut reor, expedita, diagnostica ejusdem signa tum a Veteribus, tum a Recentioribus patienti, constantique observatione firmata, ante recensenda existimo, quam de ejus prædisponentibus caussis sermonem aggrediar.

2. Magnus itaque Dictator Hipp., qui omnibus hac in scientia præluxit, a rubore faciei, oculorum immobilitate, manuum distentione, stridore dentium, pulsationibus, maxillarum contractione, extremorum frigore, intumescientia venarum, Apoplexiæ signa deduxit [a], tradiditque timendam esse, si citra febrem caput doloribus vexetur, & aures intra se ipsæ sonent, si tenebricosa vertigio adsit, & vocis tardi-

tas,

[a] De Rat. Vict. in Acut. text. 37. Coac. Prænot. Sect. 2. cap. 2. 430. Cap. 20. 476. Aph. 40. Sect. 7. lib. 2. de Morb. 6. 8. Aph. 51. Sect. 6. Lib. de Judic. 305. & de Gland. 9.

tas, & manuum stupor, maximeque si membra, supercilium, crus, labia, præter consuetudinem, stupeant, torpeantque, si capitis anterior pars doleat, somnolentia, & visus inconstantia sequatur, si cætera sanum hominem, repentinus capitis dolor invadat, si desipientia, totiusque corporis convulsione corripitur.

3. Aræteus [a] etiam, alter e Græcis, scientia signorum clarissimus, advertit, morbum hunc, licet repente invadere soleat, eminus tamen corporis totius gravitate, motu dificili, torpore, sensu, nunc frigoris, alias caloris immodici, somnis brevibus, prospici aliquando posse; post hæc, si rerum terribilium ideæ dormientem, maximeque vigilantem, citra causam externam occupent, Apoplexiam, ut inquit, in propinquo esse putandum est.

4. A vultu etiam crispo, & pleno membrorum, maximeque labiorum subsultu, locutione trementi, minusque exprompta, oblivione eorum, quæ mox dicta sunt, alvi siccitate, morbum hunc

a Morb. Diut. Cap. 7. pag. 67.

prævideri quoque posse, Cælius Aurelianus, diagnosi morborum nulli secundus, affirmat[a]; Languor interdum, & defectus animi præcordia occupans, [b] crebior aliquando incubus [c], Apoplexiam præcurrere observatum est.

5. Sæpe etiam, antequam Apoplexia corripiat, prominent venæ jugulares, nunc tenebræ, nunc splendores apparent, palpitat totum corpus, moveri piget, urina parca redditur, atra, æruginosa cum sedimento crassioris farinæ speciem referente [d]; Si vero pinguis citra febrem a Senibus excernitur, Apoplexiam prænunciare tradit Auctor de Dynamediis [e]. Verum cum liber hic plurimis erroribus scateat, maximeque, cum prænuntii hujus exemplum nondum legerim, aut vidisse meminerim, aut ab aliis visum acceperim, idcirco signum hoc potius refero, ut, si verum est, data occasione, ab aliis confirmetur,

tur,

a Acut. Morb. lib. 3. cap. 5.
b Galen. lib. 1. de Art. Curat. ad Gauc. Cap. 14.
c Aetius Tetrab. 2. Sermon. 2. cap. 12. Avicen. lib. 1. Fen. 3. Doctr. 5. cap. 1.
d Paul. Ægin. lib. 3. Cap. 28.
e Qui inter. Galen. Oper. proſtat.

tur, quam ut censeam ex eodem Apoplexiam certo prænosci.

6. Avicenna, [a] præter quem signi hujus neminem meminisse invenio, Apoplexiam timeri docet, si citra phlegmaticorum Apostematum, aut alius morbi ex vitreo phlegmate, producti crisim, & citra laxitatem intestinorum, ubi adversæ valetudinis signa primum apparuerint, urina lactea, viscida, & veluti spermati similis excernatur. Universi corporis palpitationes [b] tantam vim habere censuit ad Apoplexiam prænunciandam, ut ubi frequenter corpus universum palpitationibus hujusmodi subsiliat, statim phlegmatis evacuatione curari jubeat, ne Apoplexia corripiatur.

7. Documenta Veterum de Apoplexiæ prænunciis, Recentiorum observationes potius confirmarunt, quam auxerint. Animadversum tamen est ab Hejde [*], Hardero, [c] Wepfero, [d] aliisque, vomendi conatus cum capitis dolore, aut tremo

[a] Lib. citat.
[b] Avicen. & Aurelian. loc. citat.
[*] Centur. Observ. Medic.
[c] in Apiar. Observ.
[d] Observ. Anatom. ex Cadav. eorum, quos Apoplexia sustulit.

more artuum, & tenebricosa vertigine, instantem Apoplexiam præcesisse, interdum, præter horrenda insomnia, vel alia morbi prænuncia, crebro micasse palpebras, sensumque veluti formicationis, brachia præsertim occupavisse [a]; manifestum quemdam frigoris sensum se percepisse, eo, ubi sagittalis sutura cum occipitis osse conjungitur, pridie quam morbo corriperetur, dum hæc scriberem, Illustris Sexagenarius mihi balbus narravit; Quosdam per annos aliquot auditus hebetudine, alios visus imbecillitate, antequam morbo corriperentur laborasse, vidit Scriptor historiæ Morborum Uratislaviensium [b];Respirationem solito profundiorem, naribusque compressis peractam, inter prænuntia instantis morbi recenset Boerhaave [c]. Hisce longos, & graves somnos, ronchos, mentis hebetudinem, motus convulsivos, animi consternationem, lacrymas, crebro, & sponte fluentes, multi ex summis Observatoribus adnumerant. Interdum quoque to-

a Wepfer Oper. citat.
b Hiſtor. Anni 1702.
c §. 1010.

totum corpus, & membra præsertim aliqua, cæterum integerrima, prurigine tentantur, quod alias multo, alias paulo ante Apoplexiam contigisse, a gravissimis Viris accepi, ipseque semel vidisse recordor; licet qui de hoc prænuntio aperte meminerit, neminem, quod sciam, invenerim, quamquam Willelmus Bekerus, de hoc signo locutum fuisse Auctorem lib.2.Prædict., arbitretur [a].

8. Non omnia tamen in omnibus memorata prænuntia apparere putandum est; Cum enim signa hæc sint effectus caussarum internarum, ex quibus Apoplexia futura est, cumque caussæ hujusmodi variæ sint in variis hominibus, & pro earum varietate, diversa ratione morbus incipiat, idcirco eorumdem signorum in nonnullis multa, in quibusdam pauca, in aliis alia contingunt; Præterea, quoniam ex internis hisce caussis, non una Apoplexia, sed alii etiam morbi, imprimisque Capitis, produci possunt, maximeque Epilepsia, Insania, Oblivio, Carus, Coma, hinc ex memoratis signis, pleraque, non Apople-

[a] Cap. 15. a num. 411. ad 420. edition. Makianæ.

plexiam tantum,sed hosce quoque morbos, aliquando antecedunt. Tandem, quoniam caussæ quædam, vel hunc morbum repente faciunt, vel pariunt effectus quosdam vix initio sensibiles, non raro propterea contigit, ut nullo saltem, quod animadversum sit, prænuncio, hominem Apoplexia correptum videamus.

Apoplexiæ signa a caussis prædisponentibus

§. III.

1. PORRO Apoplexia eminus etiam præviderì potest, ejusdemque indoles, ac species investigari ex cognitione caussarum prædisponentium, Ætatum, scilicet, Anni temporum, Cæli constitutionum, Temperamentorum. Ad ætatem quod attinet Provectiores, maximeque ab anno quadragesimo ad sexagesimum [a], tentare solet, si, quod rarum est, Juvenes morbus invaserit, aut Pueros, quod multo rarius, id externæ caussæ penè semper tribuendum est, capitis nempe vulneri, aut compressioni externæ, interceptioni venarum jugularium, similibus. Re enim vera ex centum supra viginti Apoplecticis, quorum historias collegit Wepferus, [b] vix triginta tradidit eorum, quos,ante quadragesimum ætatis annum, hic morbus cor-

[a] Hipp. Aph. 57. Sect. 6. Aph. 31. Sect. 3. Galen. in Comm. ad Aph. eumdem.
[b] citato Opere.

corripuerit; unde constanti observatione firmavit, quod multo ante docuerat Hippocrates [a].

2. Quantum vero Hyemale tempus ad morbi genesim conferat, præterquam quod pluribus in locis indicavit Hippocrates [b], viderunt multi, [c] imo laudatus Wepferus [d] ex quadragintaquinque Apoplecticis, in quorum historia, memorata est anni pars, qua correpti fuerunt, tres supra viginti, hyeme percussos fuisse notavit, idque etiam sic, ut ex his pauciores ab externa caussa morbum contraxerint, quam ex illis, quos in reliquis tempestatibus morbus invasit.

3. Pluviosam Cæli constitutionem morbo ansam præ cæteris præbere jam ante docuerat Hipp. [e], funestissimisque exemplis probavit Apoplexia penè Epidemica, quæ per Universam ferme Italiam

a Aph. 57. Sect. 6.
b Aph. 23. Sect. 3.
c Aetius Tetr. 2. Serm. 2. Cap. 27. Ramazzini Constitut. Epidem. Anni 1691. Sect. 3. Gorter. Aph. 102. Sect. 7. Huxam de Aere, et morb. Epidem. tom. 1. pag. 349. 262. Lommius Bagliv. Lancisius, Piso Amat. Lusitan. Cent. 1. curat. 34.
d Wepfer. Loc. Citat.
e Aph. 16. Sect. 3.

liam grassata est hyeme annorum 1694., et 1695. post hominum memoriam pluviosissima [a].

4. Corpora denique Apoplexiæ procliviora sunt, quæ humoribus turgent, maximeque cruore, vel pituita, et in quibus solidorum robur, et vis contractilis imminuta sunt; Frequentius enim morbus corripit eos, qui frigido, et humido utuntur victu, [b] eos qui cum phlebotomiæ assueverint, ab ea deinde diutius abstinuerunt, [c] qui desidem et otiosam vitam, contra consuetudinem, agunt, et interea, potationibus, ingluviei, et crapulis maxime indulgent, [d] qui frequenter ingesta non digerunt [e], vel venere abutuntur, [f] vel ad iram para-

ra-

a Ramaz. ibid. Sect. 2.dissert. 1. Gaharliep. Constit. Epidem. Berol. anni 1697.Baglivius in Append. dissert. 8. de Apoplex. fere Epidem &c. Forest. Observ. lib. 10. pag. 415.

b Paul. Egin. lib. 3. cap. 18.

c Avicen. loc. citat. Acta Medicorum Uratislavien.

d Wepf. pag. 203. Ballon. Paradig. pag. 264. Carol. Piso de Morb. a seros. Colluv. Sect. 2. cap. 5. Forestus. Gordon. in Lilio Medico.

e Henric. ab. Heer. Obser. 18. Fonsec. lib. 2. Consil. 89. Forest. lib. 10. Consil. 69.

f Vide infra §. 4. lit. d.

ratiores sunt,[a] vel summis, ac diuturnis animi intentionibus frangi consueverunt,[b] qui brevi, ac toroso sunt collo,[c] et, ut Boerhaave testatur, sex tantum vertebris constante,[d] quod nec videre, nec aliquem qui viderit, legere contigit, quibus denique caput, maximeque inferior pars magna, facies turgida, corpus crassum, breve, et obesum est.

De

a Ibid. lit. c.
b Cælius Aurel. lib. citat.
c Willis. de Anima Brutor. part. 2. pag. 143.
d Aph. 1010.

De Apoplexiæ caussis procatarticis

§. IV.

1. QUum multiplices adeo, et variæ sint, ut longum nimis esset singula recensere, nonnullas tantum proferam, quas constans observatio detexit, et Observatorum integritas retulit. Multa prostrant apud Wepferum [a] exempla eorum, quos subito Apoplexia corripuit ex summo frigore [b], ex cohibitis lochiis [c], vel mensibus [d], ex hæmorrhoidum, [e] vel narium hæmorrhogiæ suppressione [f], ex retropulsa scabie [g], ab intercepto fluxu materiæ ta-

a Lib. citat.

b Forest. lib. 10. Obs. 70. Mercurial. Consil. pluribus in locis.

c Nicol. Fontan. Resp. et curat. Medic. lib. 1. pag. 25. Ballon. Paradigm. pag. 328.

d Hildan. Cent. 3. Curat. 22.

e Hipp. Coac. prænot. Sect. 3. text. 66. Amat. Lusit. Cent. 3. Obs. 12. Schultius. Lancisius de Subit. mortibus cap. 19.

f Hildan. idem. Cent. 1. Obs. 11. Wepf. pag. 238.

g Ephem. German. Decur. 1. anno 4. Obs. 58. pag. 136. Moeb. in Institut. pag. 265. Frid. Hoffman. Med. Rat. tom. 2. pag. 228.

ex antiquis ulceribus, fonticulis, et setaceis erumpentis [a], ex crapula, et ebrietate [b], gravi ira cohibita [c], effrenata venere [d], vi cranio facta [e], ingenti onere capiti super imposito, reciso tumore sinciput occupante [f], positione capitis horizontali, maximeque deorsum inclinato [g], vehementi corporis exercitatione, vel concussione [h], ex ictu

a Piso tract. a colluv. seros. cap. 88. Holler. de Morb. intern. lib. 1. pag. 27.

b Wepfer. idem. citat. opere.

c Forest. lib. et Obs. citat.

d Valer maxim. lib. 9. de Cornelio Gallo, et T. Haterio. cap. 12 Frid. Hoffman. de Morbo. a nimia Venere §. 17. Histor. Morb. Uratislav. de Daniele Becher. M. D. pag. 295. Henr. ab. Heer. Obs. Med. 9. Plater. in Obser. Henr. ab. Heer. Obs. 18. Lommius Comment. de Sanitate tuenda pag. 37. Boerhaav in Ppælect. de Morb. Nervor. Cap. de Aliis nerv. sensor. commune afficient.

e Duret. in Coac. prænot. pag. 366. Borell. Cent. 2. Obs. 34. Henr. ab Heer. Obs. 12. Wepf. Obs 12. Barthol. Cent. 2. histor. 60. Bonett. Sepulchr. lib. 1. Sect. 2. Obs. 7. 8. 12. 13.

f Welsch. et Barth. Obs. Cent. 4. hist. 86.

g Lovver. tract. de Cord. cap. 12. pag. 103.

h Georg. Horst. lib. 2. de Morb. Capitis. Obs. Medicar. rar. 63. Hild. Cent. 4. Obs. 11. Wepf. in Auct. pag. 349. Wedel. in Patholog. Med. Dogmat. pag. 334. Nicol. Fontan. Disc. 6. pag. 92.

ictu fulminis [a], ex capite manu tantum percusso [b], ex ictu in sinistrum oculum illato [c], ex bombardæ strepitu [d], terræmotus terrore [e], tristi, et læto etiam nuntio repentino [f], diutino mærore compresso, et subita animi consternatione [g], immodico risu, [h], ex hausto carbonum halitu [i] *, calcis, et vapore prunorum ar-

a Brasavol. Comm. ad Hipp. libr. de Rat. Vict. in Acut. Cardan. libello de Fulgure Cap. 2. Beniven. de Abd. Cap. 23. Schenk. lib. 1. de Apoplex.

b Beniv. idem Cap. 110. Hild. Cent. 5. Obs. 53. Cent. 6. Obs. 11. Schenk. Plater. ab. Heer. locis. citat. Wepf. lib. citat. hist. 1. 2. 3. 6. Hercules Saxon. prælect. Practic. pag. 85.

c Fernel. lib. 2. de Abdit. rerum caus. cap. 11. Valeriol. lib. 3. enarrat. Medic. Horat. Eugen. lib. 9. Epist. 11. Schultet. in Armam. Chirurg. Obs. 21.

d Lusitan. Cent. 4. Curat. 21. Cammer. in Syllog. Memorab.

e Beroald. libello de terræmot.

f Wedel. lib. citat. Tissot. Dissert. de Variol. Apoplex. &c. ad Hallerum. Cicero lib. 1. Quæstion. Tuscl. de Diagora Rhodio. Gellius lib. 3. Noct. Atticar. cap. 15. de eodem, & aliis. Boerhaav. libr. citat. de Sympat. pag. 222. 223.

g Hild. Obs. 6. Cent. 12. Losius lib. 1. Obs. 14.

h Areteus lib. 1. Diut. Morb. cap. 7.

i Marcell. Donat. hist. Mirab. lib. 2. cap. 7. Galen. de usu part. lib. 7. cap. 8. Hoffman. Obs. Physic. Chim. lib. 3. Obs. 13.

* Tistissimum Apoplexiæ exemplum ex hac caus-

ardentium [a], musti [b], thermarum sulphurearum halitu [c], hydrargyri fumo, ingestisque floribus antimonii male præparatis [d], ex ingesto tabaci fumo [e], pulvere ejusdem naribus atthracto [f], ex aquarum acidularum potione nimia [g], ex diuturna urinæ suppressione [h], a flatibus, [i], ex metastasi recrementi sero-
si

caussa genitum illi ab Helmontio relato simillimum vidi anno 1768., in Xenodochio S. Jacobi Incurabilim in homine, qui halitu prunorum ardentium ex carbone ita affectus est, ut supra accensam sartaginem apoplecticus concidens totum, ei crus ad os usque assatum sit, quin sensum doloris ullum pauco, quo vixit tempore perceperit.

a Valer Maxim. lib. & cap. citat. de Q.L. Catullo. Fulgosius lib. 9. cap. 12. Volateran. lib. 23. de Joviniano Imperat.

b Boerhaav. Chem. tom. 1. pag. 86. tom. 2. pag. 180. Miscell. Curios. Dec. Ann. pag. 56.

c Thom. Jordan. in tract. de Aquis Medic. Moraviæ pag. 9. Schenk. lib. 1. Obs. 2.

d Langius lib. 1. Epist. 44. Acta Socet. Reg. Volum. 1. pag. 18.

e Joann. Hellwig. Obs. Physic. Medic. Obs. 45.

f Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 4.

g Rolfinc. Franc. Hildescheim. Spicileg. 6. pag. 526. Willis. tom. 2. de Apoplex. cap. 8.

h Idem. ibid.

i Hipp. lib. de Flat. Sect. 19. text. 4. libroque de Morb. Sacr. Valleriol. Ephem. Med. lib. 1. pag. 74. Dovinat. Apolog. lib. 3. cap. 1.

si malignis in febribus [a], ex humore scorbutico ad cerebrum traducto [b], ex materia febrili caput per intervalla petente, aut certe vi febris in accessionibus intermittentium [c], ex partu ob ingentem hæmorrhagiam [*], vel dolorem, vel animi perturbationem [d], ex ardore solis caput diutius afficientis [e], ex mutato decubitu in Emiplecticis [f], ex tumore glandularum colli jugulares venas comprimente [g]. Mechanica demum causa quæcumque, quæ jugularia, et cæphalica vasa intercipere, Apoplecticum morbum producere valet [h].

a Willis lib. & cap. citat.
b Eugalen de Scorbut. Artic. 28. pag. 122.
c Sidhenam Epist. respons. ad Robert. Bady.
* Boerha. de Apoplexia pag. 261.
d Sidhenam. Dissertat. Epist. ad Gulielm. Cole.
e Piso lib. citat. Sect. 2. part. 2. cap. 5. Schenk. lib. 1. de Apoplex. Obser. 1.
f Morgagn. Epist. Anatum. 3.
g. La Motte traitè Complet. de Chirurgiè tom. 2. pag. 186.
h Boerhaav. §. 1010. num. 3. lit. d. Bellini de Morb. Capitis. de Apoplexia.

Signa Apoplexiam concomitantia.

§. V.

1. PRæsentem Apoplexiam significat repentina cessatio sensuum quidem omnium, motuum eorum tantumodo qui voluntatis imperio reguntur, hinc a Syncope, et animi deliquio facile distinguuntur, quod in hisce pulsus quoque, et respiratio cesset, aliquando a profundissimo somno ægerrime distingui Apoplexiam, doctissimus Swietten affirmat [a]; Verumtamen somnus hujusmodi ab Apoplexia semper differt, quod in eo sensus, ac motus memorati, non deleantur, aut extinguantur, sed consopiti cessent, et intermittant, renovarique possint externis stimulis; preterea vero, paulatim, sensimque cessent non repente, et confestim, quemadmodum in Apoplecticis, qui repente, ac subito corruunt, et prosternuntur; Quod Swietten ipse advertit profundis- sime

a Comm. ad Aph. Boerhav. 1008.

sime dormientium crura aliquando combusta fuisse vase aqua ferventi repleto, cruribusque admoto, ad frigus arcendum, id stupefacienti vi frigoris potius tribui potest, quam somno. Præterea, difficile quidem nonnihil dictu, sed tamen certum est, et sensui manifestum discrimen inter dormientis etiam profunde, atque inter Apoplectici decubitum observatur; Apoplecticus enim longe magis prostrato, dejecto, gravi, resoluto corpore, membrisque jacet, quam qui dormit; quoties in dormiente, sponte, vel admotis stimulis, sensus, motusque reddeunt, omnes simul & citissime, & ex integro resurgunt; contra autem in Apoplectico hæc omnia artem præstitisse, nondum legi, nec vidi, nec aliquem vidisse scio; profundum, & naturalem somnum, diuturna vigilia, vel summus labor semper antecedit; Apoplexiam vero longe rarius; quamquam ebrietatem secutus profundior somnus, aliquando desinat in Apoplexiam.

2. Quamquam Apoplectici sint qui motibus animalibus, sensibusque omnibus repente amissis, ob id vivere de-

prehendantur, quod calorem conservent, & respirationem, & pulsum, alii tamen Apoplectici censentur, quamquam ab istis nonnihil differant; visum enim, & auditum sibi, Apoplexia correpto, narrat superfuisse Litostenes, eumque sensum in membris, ac si eadem in durissimos, gravissimosque lapides sibi conversa fuissent; quod de Messala Corvino, de Francisco Barbato, de Gregorio Trapezuntio, refert Schenkius, [a] Simili fere Apoplexiæ ab ictu lapidis capite excepto, in eruditissimo quodam Atheniensi, memoria literarum tantummodo, quibus præcipue inservierat, superstite, cæterarum omnium, æternam oblivionem subsecutam esse, advertit Valer. Maximus. [b] Tantum quoque sensus, & motus in Apoplecticis interdum servari, ut vocati, vel concussi ingemiscant, observavit Hipp.; Interdum etiam in parva Apoplexia latus alterutrum resolutione liberum esse, adnotavit Aretus, [c] licet dubitari possit, num Apoplexiæ nomine, Emiplegiam potius hoc

[a] lib. 1. Observ. rar. titul. de Apoplexia.
[b] lib. 1. cap. 8.
[c] Diut. Morb. lib. 1. cap. 7.

hoc in loco voluerit; Sensum quoque in parte aliqua interdum servari, levioremque tunc Apoplexiam esse, advertit Theodorus Priscianus.

3. Quum in nonnuliis Apoplecticis os fortiter clausum retineatur, nec nisi magna adhibita vi, maxilla deduci patiatur, idcirco colligitur, perseverasse quandoque vim contractilem musculorum quorundam, ut temporalium, masseterum pterygoideorum, quorum ope maxilla diducitur. In leviori Apoplexia, impedito tantum sermone, vocem servatam vidit Ramazzini. *

4. Quin, sermonis usum in mitiori morbo superfuisse memorat Scriptor Historiæ Morbor Uratislavientium; [a] Aliquando etiam, ob conjunctam cum hoc morbo Epilepsiam, membra tremere, agitari, Franciscus Rubeus [b], Samuel Ledelius, [c] aliique * viderunt. Contra autem cessante respiratione, pulsum ad aliquod tantumodo tempus in letha-

* Constit. Epidem. Urban. Anni 1691. §. 22.
a Anno 1702.
b Noctar. exercit. 40.
c Brev. Epist. sev. Consult. & Observ. Med. Dec. 3.
* Ferdinand. hist. 71. Piso pag. 126.

li Apoplexia, Joannes Conradus Brunerus observavit; imo Galenus, Rhazes, Avicenna, & ex Recentioribus multi, pulsum etiam, & respirationem in nonnullis Apoplecticis, quandoque ad biduum, aliquando ad triduum usque cessare, nullo inter hos, & cadavera, manifesto discrimine, viderunt. Verum in istis, Apoplexiam cum Syncope jungi puto, Petrusque Forestus, & Historicus modo laudatus, multo ante indicarunt.

5. Quæ præter hæc, Apoplecticis phænomena accidere solent, ex his quæ de signis morbi magnitudinem, vel levitatem, mortem, vel salutem in hoc morbo prænunciantibus, subjungam, manifeste patebit.

De prognosticis Apoplexiæ signis

§. VI.

1. GRavissima igitur, & fere lethalis est Apoplexia, in qua vox trangulatorum similis emittitur, facies longior videtur, vel livet, vel exanguis, vel plumbea est, turgent oculi, lacrymæ sponte cadunt, Amaurosis supervenit, supercilia, & palpebræ elevatæ perstant, os hiat, deglutitio impedita est, proindeque oblata alimenta, vel medicamenta tussim excitant, spirandi difficultatem augent, stangulatus periculum afferunt; per nares redduntur, livent extrema, & frigent, præcordia prominent, urina, & fæces sponte exeunt, sensus, motusque, nullo stimulo excitari potest, maculæ suffusionibus similes apparent in cute, sanguis missus interdum frigidus, minus nempe naturali, calidus deprehenditur.

2. Fortis quoque, & lethalis esse solet hæreditaria, quæ in senectute oritur, quæ alias eundem hominem cor-

ripuit, quæ Epileptico, maximeque epilepticæ accessioni supervenit, quæ ex vehementi caussa producta est.

3. Mortem autem in propinquo esse timendum est, si cum horum aliquibus, totum corpus friget, si spiritus frigidus educitur, si a magna ejusdem dificultate sudor exoritur, maximeque si frigidus circa os apparet, aut mucus spumosus, vel sanguis copiose funditur ore, ac naribus, & urina cruenta est, si post sanguinis missionem, nec motus reddit, nec mens, si clysteres acerrimi non rejiciantur.

4. Valde præterea ad morbi hujus magnitudinem confert respirationis, & pulsus consideratio; si hæc prohibetur, citissime fere lethalis est Apoplexia, si magna vi, & conatu, & cum stertore peragitur, fortis censetur, & plerumque fatalis, si spiritus inæqualis est, inordinatus, intermittens, fortis quoque judicabitur, sed aliquanto minus. Tandem, quando parum a naturali statu respiratio deflectit, plerumque levior morbus judicatur.

5. Quod vero spectat ad pulsum in leviori Apoplexia parum a naturali sta-

tu

tu recedere solet; in graviori nonnihil inæqualis fere est, tensus, minor, debilior, rarior, tardior; in forti demum, magis debilis, parvus, celer, frequens deprehendi consuevit.

6. Cæterum in forti quoque, & mortali Apoplexia, nonnumquam pulsus, vel fortis & tardus inventus est ab Antonio de Hiede, vel fortis, & magnus a Remberto Dodonæo, vel primum magnus, fortis, celer, deinde debilis, parvus, creber, vel magnus tantumodo a Wepfero, vel primum creber mox rarus, & tardus, tandem debilis, & languidus a Conrado Brunero.

7. Levior contra Apoplexia censetur, si desint signa mala, vel pessima, de quibus numeris 1. 2. 3. hujus §. dicebam, si facies, maximeque pulsus, & respiratio a naturali parum recedunt, si in aliqua parte, aut in pluribus, vel neque motum, neque sensum, vel saltem alterutrum, morbus non sustulit. Hisce tamen signis, non sine maxima prudentia ad morbi exitum prænuntiandum, fidendum est.

8. Haud raro enim, levior primum Apoplexia in fortem, & lethalem subito muta-

mutatur. Tutius aliquanto salus prospicitur, si postquam frigus occupavit, calor toto corpore revertitur, si membra quædam, quæ ante quiescebant, vel sine ordine, & citra voluntatis imperium, tamen movebantur, subsiliunt, si reddit deglutiendi facultas, si vocatus æger, aut punctus, in quo sensus omnino cessaverat, palpebras attollit, aut labia movet, aut manum stringit, aut alia ratione vocantes, vel pungentes, se percipere significat, si ab instituta venæ sectione, morbum imminui constet, si injecti clysteres, post consuetum tempus reddantur.

9. Hæc, & proxime superioribus numeris indicata, non auctoritate tantum Hippo. Aretei, Celsi, Cælii Aureliani, Avicennæ, Æginetæ [a] aliorumque Veterum singillatim confirmantur; verum multæ Apoplecticorum historiæ, quas Wepferus, de Hejde, Harderus, Piso, Platerus, Clauderus, [b] Jacotius [c], & Baglivius * protulerunt.

De

a lib. & locis citat.
b locis citat.
c Comm. in Coac. Hipp.
* Prax. Med. lib. 2. §. de Apoplex. & §. de Capitis Affect. in Acutis.

De Apoplexiæ exitu

§. VII.

1. FOrtem Apoplexiam solvere impossibile, debilem vero non ita facile esse, jamdudum observavit Hippocrates, & Celsus, mediocrem ægre, vehementem, sanari minime posse, Venerandi Senis Aphorismum latine convertens, affirmavit. Verum contra vulgarem interpetrationem utrumque intelligendum existimo, ac si dixerit, fortem Apoplexiam, nullo modo, debilem vero difficile adeo solvi, & sanari, ut nullum sui prorsus vestigium relinquat; Uterque enim, in vehementi cæterum Apoplexia, naturæ, vel artis ope, mortem interdum vitari posse docuit: Nec desunt exempla eorum, qui, ex manifeste forti, & vehementi Apoplexia, servati sunt, tum apud Zacutum Lusitanum, Dodonæum, Tulpium, & multa apud Wepferum, & alios, monumenta prostant, ipseque decem abhinc annis Fæminam circiter Sexagenariam, sic affectam servavi.

2. Contra vero raro, admodum legimus,

mus, aut videmus, quem vehemens Apoplexia corripuit, sine ullo præteriti morbi vestigio superfuisse: Fere enim semper fit, ut, quos fortis Apoplexia non sustulit, diuturnior aliquis morbus, sæpe ad mortem usque insanabilis affligat, ut Emiplegia, Paralysis, Hebetudo Mentis, Memoriæ infirmitas, aut ejusdem omnimoda jactura, Impeditus sermo de rebus omnibus, præterquam de re dudum memoriæ mandata, & in communi usu posita, veluti præces quotidianæ, Anorexia, Invincibilis ad somnum prolivitas, Melancholia, Epilepsia, Servandi lotii, & artuum diuturna Impotentia. Interdum post debilem Apoplexiam, licet morbi vestigia cito cessent, leve tamen aliquando remanet, ut Memoria nonnihil infirmor, tardior aliquanto in lingua, aut alia parte Motus, Mœror, Lacrymæ, & Risus facilis, quorum exempla, tum apud Kockburnium, Forestum, Baglivium,[a] Hoffmannum, Wepferum, tum alios, aliqua legi possunt. Verum sæpe in mortem, quando in memoratos mor-

[a] in histor. morbi Marcelli Malpighii.

morbos non desinit, Apoplexia mutatur.

3. Interdum vero, & imprimis, quando levior est, solvitur, vel evacuatione aliqua, vel febre, vel externo abscessu superveniente, vel horum aliquibus; Borrichius in sene Apoplexiam solutam vidit calefacientibus, vomitu glutinis prima morbi die oborto, dein abscessu in crure sinistro nato, quem tertia morbi die, tumor, rubor, & calor præcessit, & ex quo copiosum pus ad duos integros menses manavit; Swietten ab instituta venæ sectione, vomituque spontaneo ingentis pituitæ, Apoplexiam prima die solutam, vidit; Nonnumquam fluxu phlegmatis ex ore, Apoplexiam solvi, Auctor est Sennertus, & probant nonnullorum observationes, & ex meis præcipua eximii Musices Magistri, copiosissima pituitosæ materiæ anachatarsi judicati.

4. Quam mensium, hæmorhagiæ narium supressio fecit Apoplexiam, earumdem restitutione solvi posse, rationi consonum est; de illarum fluxus in ea utilitate, manifeste locutus est Hippo-

cra-

crates;[a] Cæterarum revocationum emolumenta commendarunt, Lancisius; Zacutus Lusitanus, [b] aliique.

5. Apoplexiam cætera lethalem, febre accedente, interdum solvi in Hipp. [c] libris passim invenio, quas vero Apoplexiæ species per febrem solvi docuerit, & quando accedente, & cujus indolis, non ita manifestum est. Malum esse, si debilis, & lenta febris Apoplecticos corripiat, nonnulli contendunt, confirmantque exemplo Numenii, qui Apoplecticus sub Hippocrate [d] ipso interiit, quod lenta, & debilis febris accesserit. Hinc alii, ut Martianus, [e] & Salius [f], Apoplexiam solvi docent Ephimera febre, quæ cito tamen accedat; Forestus, & Sennertus [g] ardentem febrem commendant; Nonnulli * ratiocinationibus suffulti, nullam esse febrem, quæ Apoplexiam solvat, arbitrantur.

9. Ego

a Coac. Prænot. text. 478. & 318.
b de Princip. Med. hist. lib. 1. Observ. 33.
c Coac. 480. lib. 2. de Morb. n. 6. Aph. 51. Sect. 6.
d lib. 1. Prorrheti. text. 82.
e Comm. Aph. 5. Sect 5.
f lib. 2. de Morb. text. 15.
g Pract. lib. 1. part. 2. cap. 33. de Apoplexia.
* Liebautius Vallesius Comm. in Aph. 51. Sect. 6.

6. Ego vero, si meam licet interponere sententiam, tunc febrem prodesse existimo, cum jam onere suo liberata sunt vasa, & humorum sarcina multum minuta est; levis enim insurgens febris, obstructiones, si quæ alicubi sunt, reserare potest, quamdiu vero omnia vasa turgent, omne novum febrile momentum vi sanguinis additum, letiferum esset, quod superata Apoplexiæ causa, non ita facile contingere potest, unde febris post hæc tantum quandoque juvat, morboque tutius adversatur.

7. Hanc vero sententiarum varietatem, inopiæ in hac re observantionum, relictoque proinde conjecturis loco, tribuendam judico. Vix aliquæ leguntur apud probatos Scriptores Apoplecticorum historiæ, quorum sanatio obortæ febri manifeste debeatur. Swietten, utut, magna febre sanabilem Apoplexiam interdum solvi confirmet, animadvertendum tamen, ajt, in fæmina, quam post suspendii supplicium, vitæ signis aliquot apparentibus, Willisius, aliique curarunt, calefacientia remedia intus, forisque adhibita fuisse, indeque secu-

cu-

cutam secunda die febrem, & cum ea sensum, & motum reddiisse. Verum historiam hanc percurrentibus, quam Wepferus de loco in Apoplexia affecto proposuit, manifestum est, fæminam illam, paucis a suspendio horis, & multo ante quam febris accederet, tussiisse, scalpsisse, manus, & oculos aperuisse, corporis extrema recoluisse, deinde, statim a secta vena motum in pluribus partibus füisse restitutum, accesisse sudorem, faciei ruborem, dein sensus signa manifesta, tandem sermonem quoque reddiisse, quæ cum sanationem, etiam sine febre, promitterent, incertum propterea est, num febri, quam nec lego, nec conijcere possum magnam fuisse, unice tribuere debeam. Cæterum multos Apoplecticos febrem invasisse advertit Scriptor Historiæ Morborum Uratislavienticum[a], quin tamen aliquis servatus sit.

8. Quamquam, ut vera loquar, levem Apoplexiam, præmissis venæ sectionibus, & Emetico catharsi, lenta febre, post quartum ab impetu diem exor-

[a] Anno dicto.

exorta, undecimo solutam, præterito anno in Nobili Anglo vidisse recordor.

9. Ex his quæ hoc §. de Apoplexiæ in salutem, vel mortem transitu dicta sunt, patet etiam, quid de ejus in alium morbum mutatione, sentiendum sit.

Quid de Apoplexiæ interna Caussa Extispicia docuerint

§. VIII.

1. LIcet tota hæc Apoplexiæ historia non parum contulerit ad evolutionem caussarum internarum, ex quibus illa progignitur, & quibus indicationes, tum prophylacticæ, tum curativæ niti debent, tamen longe plurimum fecit consideratio eorum, quæ Apoplecticorum dissecta Cadavera ostenderunt. Hæc ita paucis recensebo, ut unicum saltem exemplum cuique caussæ, præcipuis præsertim, accommodatum haberi, facillime possit.

ARTICULUS I.

1. PAtientissimus, & diligentissimus Observator Platerus in Cadavere Feminæ, quam subita Apoplexia sustulerat, cerebrum universum in difluentem pulticulam conversum, invenit.

2. Ca-

2. Carolus Drelincurtius in Apoplexia denato, qui sex antea mensibus cæcitate primum, dein surditate etiam laboraverat, steatomatosum tumorem, eo, ubi pinealis glandula sita est, observavit.

3. In Cadavere Viri, qui ex ingenti frigore caput afficiente, primum Cæphalalgiis, dein visus imbecillitate, postea Amaurosi, tum motibus Epilepticis quotidianis laboraverat, tandem Apoplecticus interierat, ad internam faciem sinistri bregmatis, tumorem osseum, spongiosum, in cujus cellulis substantia medullaris, maxima ex parte gummosam duritiem aquisierat, proximasque mæninges ad digiti transversi spatium luxuriantis carnis faciem gerentis, & tumidam, vidit Scoberus.

4. In Cadavere Fæminæ, cui post Cæphalalgias, & Vertigines, latus dexterum imbecillum, consequens Apoplexia reliquerat, quæque dein, post quinquenium revertens, subitam mortem a diuturna vertigine attullerat, eximius Brunerus invenit in dextero hemisphério tres cavitates humorem aqueum continentes, quarum parietes fuscefla-

vescentes, coriaceæ prope, & callosæ erant; hiatum in dexteri thalami substantiam grumoso sanguine repletum, proximamque partem laceram, & divulsam observavit; dexter præterea ventriculus seroso sanguine plenus erat, unde in sinistrum etiam migraverat; quartum ventriculum, & infundibulum sanguis replebat; ex striatis corporibus, alterum obscure flavescens, flaccidum, & tabidum, Arteriolæ crebris veluti Anevrismatibus omnes turgebant.

5. Concretiones lapideas, seu potius gypseas variæ magnitudinis, internas Carotides ad latera glandulæ pituitariæ osseas, in dextero Cerebri hemispherio, cavitatem, magnitudine Ovi gallinacei, nonnullas minores, omnes atro, & grumoso sanguine repletas, invenit Wepferus in Cadavere Fæminæ, in qua manifesta suffusionis indicia in utroque oculo apparuerant, linguæ motus, sermo subinde, vacillaverant, tandem, Apoplexia, repetinam mortem attullerat.

6. In Cadavere Hominis, quem Apoplexia subito confecerat, Nicolaus Tulpius invenit in sinu falcis, & vasis Cerebri proximis, & Cordis ventriculo si-

sinistro, proximaque Aorta, ac Vena pulmonali polyposas concretiones, has in Apoplecticorum Carotidibus Crato etiam reperit, in concursu sinuum juxta torcular Herophili, generatim in venis omnibus Higmorus; imo Georgius Grejsel [a] affirmat, se passim in Apoplecticorum cadaveribus polyposas hujusmodi concretiones invenisse, quæ, aut Cor, aut proxima Cerebri vasa, aut utraque repleverant. Hujus generis exempla viderunt Bartholinus, Flamerdinge, [b] Wepferus, Fracasatus, Lancisius [c] aliique.

7. Notæ vero peculiares, quæ concretiones hasce significant, & Apoplexiam ab hac caussa ortam, antecedunt, quando in uno Corde, hujusque proximis vasis hæret, sunt inæqualitates pulsus, dificultates spiritus, cordis palpitationes, animi deliquia, vertigines leviores; in vasis Cerebri, graviores, faciei, & oculorum rubores, dolores capitis pertinaces; omnia demum simul

 affli-

[a] Miscell. Nat. Cur. ad annum 1670.
[b] Dissert. de Cerebro.
[c] libris de Subitan. Mortibus, & de motu Cordis, & Aneurismatibus.

affligunt, quando vitium in utrisque latet. Præter hæc, corporis exercitium, ira, crapula, mentis contentio, similesque caussæ sanguinis motum concitantes, memorata symptomata, aut excitare, aut augere, certissimum est.

ARTICULUS II.

1. EX vesicis rotundis, albis, humore lymphatico repletis, Callosum corpus præmentibus, cito lethalem Apoplexiam vidit Panarolus in Homine, qui paulo ante, subita mentis hebetudine laboraverat, ut propterea satis pateat, a serosis tumoribus intra cranium natis, non Lethargum tantum, ut ex Actis Edimburgensibus colligit Swietten, sed interdum etiam, Apoplexiam produci.

2. Abscessum pure repletum in dextero hemispherio supra orbitam, & nervum opticum in magno Taurinensi Xenodochio, vidi in Cadavere Apoplectici, quem vehemens primum oculi dexteri, postea capitis quoque dolor, antequam Apoplexia corriperetur, afflixerat.

3. Ex rupto obscessu, indeque pure cerebri ventriculos replente, post Blancardum, dum Medici Primarii vices in Nosocomio Incurabilium Romæ gererem, in Homine cui cranium fractum fuerat, Apoplexiam genitam, observavi.

4. Similem, Ovi magnitudinem referentem circa tertium cerebri ventriculum sero repletum, in Cadavere Fæminæ, quæ ex percusso sincipite, vertigine primum laboravit, dein Apoplexia subito concidit, Rolfincius invenit.

5. In Cadavere Apoplectici triduo sublati, qui pluribus ante annis Vertigine tentari consueverat, paucisque ante Apoplexiam diebus, de dolore, ac gravitate capitis conquerebatur, & cui pridie morbi, sanguis enaribus eruperat, dexterum cerebri ventriculum nigro, & purulento sanguine repletum, fundumque ejus erosum, & veluti excavatum, Georgius Baglivius invenit.

6. Interdum in sinistro, in utroque aliquando, in omnibus alias, sanguinem Apoplexia effusum, Drelincurtius, Bartholinus, Wepferus, aliique viderunt.

7. Tenacem, & mucosum humorem in Cerebri ventriculis, aliisque internis

partibus collectum, in Homine hebetis ingenii Blancardus; interdum simplicem aquosum humorem Marcellus Donatus; alias serosum tantum Helvius, repentinam, & lethalem Apoplexiam fecisse observaverunt.

8. Ex compressis Arteriis, & cum iis proxima Medulla oblungata; A Sanguine disruptæ oculi venæ; Ob ictum in eumdem illato; A viscido, crasso, mucoso humore vasa eadem, proximæque Medullæ oblungatæ initium comprimente, Apoplexiam subito lethalem, vidit Fernelius; A subcruento sero regionem eandem occupante, Wepferus.

ARTICULUS III.

1. HUmorem Cranium inter, & duram Mæningem, vel inter mæninges easdem effusum, morbi quoque caussam extitisse, observationes docuerunt. In Fæmina enim plethorica, quæ subinde doloribus, & capitis gravitate conquerebatur, dein Apoplexia expiraverat, sanguineum serum inter mæninges copiose effusum invenit Wepferus.

2. In

2. In Virgine, quæ diuturna Cæphalea, copioso, e naribus flavi, & tenuis humoris fluxu stipato detinebatur, quæque deinceps tali evacuatione cessante, dolore capitis increscente, convulsivis motibus cum sopore supervenientibus, Apoplectica interierat, humorem ejusdem indolis flavum, & tenuem inter mæninges dispersum, Blancardus idem invenit.

3. Sanguinem tum supra duram matrem, tum infra piam copiose collectum in Juvene, ex ictu pectori, & capiti illato, inde, post vomitum, Apoplexia extincto, Tulpius invenit. Alias aquæ, seu sero perspicuo inter mæninges effuso, Apoplexiam ortum debere, observavit Wepferus in Homine, qui pluribus ante obitum diebus, sæva cruciante Cæphalalgia, laboravit, dein Gutta serena, tum lotii incontinentia, tandem pedum resolutione, quam fortis Apoplexia excepit.

4. A rupto inter Cranium, & duram Matrem, vel inter Mæninges purulento abscessu, ex Cadaveribus eorum, qui ex vulnerato cranio Apoplexia extincti sunt, Wepferus idem observavit.

AR-

ARTICULUS IV.

1. VItium quandoque nullum in Apoplecticorum capite inventum est, præter cruorem majori copia collectum intra Arterias, Venasque duræ Matris, intra Sinus, maximeque laterales majores, intra Arterias, Venasque per Piam matrem, & Cerebri substantiam repentes, intra Artérias, quibus plexus Chorojdeus intertextus est, intra easdem demum, quas ad Cerebri basim, & circa Medullam oblongatam, Carotidés, & Vertebrales arteriæ promittunt, quorum omnium multa prostant exempla, tum alias, tum in pluries laudato Opere Wepferi.

2. Quibus manifestum fit, caussam hanc habere locum in plethoricis, qui citra capitis dolorem, aut acutam febrem, aut crapulam, aut abusum liquorum ardentium, aut assumptum Emeticum, aut corporis, animive motum vehementiorem, aut impeditum ob caussam quamlibet motum sanguinis, vel in arteriis inferioribus, aut demum post caussam quamcumque, quæ cruorem accumulat in Capitis vasis, prævio faciei, ocu-

oculorum, colli rubore ad lividum tendente, aut tumore, Apoplexia, quam *sanguineam* vocant, perempti sunt.

3. Interdum etiam memorata interni capitis vasa, non cruore præturgida, sed sanguine tantum dilutiori, minus rubicundo, repleta, inventa sunt, quemadmodum iisdem observationibus docemur, ex quibus præterea colligimus, id in illis præsertim inventum fuisse, in quibus corporis, animique tarditas, color pallidus cutis, membra turgidula, senilis ætas, lacrymæ faciles, frequens tussis, & humida, saliva copiosa, diarrhæa, maximeque vomitus frequens humorum mucosorum, nares humidæ, atque alia hujusmodi, totius sanguinis indolem mucosam, inertem, flaccidam significabant.

4. In his, Apoplexiæ, quam proinde *serosam* seu *pituitosam* apellant, occasionem præbuerat aer humidus, & frigidus, frigus acre, cohibita per nares, aut per aliam viam excretio muci, vel lymphæ, metastasis ad caput materiæ arthriticæ, vel cujuslibet pituitosæ, aut frigidæ.

5. Aliquando demum nihil prorsus in-

intra caput inventum est, interea dum Cor, maximeque Aorta, ob contentum cruorem in ingentem magnitudinem excreverat, ut Andreas Laurentius observavit in homine, qui cum prorsus sanus censeretur, Apoplexia fortissima confectus est,[a] multosque, tum cordis, & vasorum ejus majorum, tum pulmonalium vitio, suis aureis libris[b] memorat Lancisius, & ego suavissimum Cisterciensem, cui septum dexteri sinus cordis ferme diaphanum, ejusque cavitas ad duos circiter transversos digitos præter naturam aucta, inventa sunt, apud Thermas Diocletiani, transacto biennio, sic extinctum, etiam nunc doleo.

De

a lib. 9. quest. 18.
b supra citatis.

De proxima Apoplexiæ caussa

§. IX.

1. EX his quæ de Apoplexiæ historia, maximeque de hujus internis caussis hactenus dicta sunt, sponte fluit, quid de ejus essentia, seu caussa proxima conjicere licet. *Apoplexiam nempe, esse subitaneam, & inopinam actionum Cerebri abolitionem, ita ut repente impediatur spirituum animalium actio, & descensus a Cerebro ad subjecta organa sensuum, & motuum voluntariorum.*

2. Neque Cerebellum, neque fistulas ab eodem prodeuntes ullo prorsus vitio in Apoplexia laborare docuerunt Boerhaave, & quicumque Willisii opinionem, seu potius Ridleii castigatiorem conjecturam, de vario Cerebri usu, amplexi sunt; læso nimirum Cerebro, actiones tantum animales, Cerebello autem vitiato, vitales lædi statuentes, inde propterea deduxerunt, partes, quæ sentiunt, quæque vi voluntatis moventur,

tur, ope spirituum, qui in Cerebro secernuntur, moveri, illæ vero, quæ citra voluntatem, Cerebelli auxilio perfici, observationibus innixi, decreverunt.

3. Verum doctrinam hanc totidem contrariis observationibus everterunt alii, ostendentes, læso tantum Cerebro, interdum vitales quoque actiones læsas, aut etiam extinctas fuisse; contra vero Cerebello vitiato, imo etiam destructo, & evulso, vitales tamen motus, & naturales interdum perseverasse, ut propterea manifestum sit, quod ante Galenus docuerat, Cerebellum etiam, in Apoplexia lædi posse.

4. Æque tamen certum videtur, Cerebrum tantumodo in Apoplecticis plerumque vitiatum esse; Universa enim experimenta, & observationes omnes patefaciunt, læso Cerebello, vitales actiones omnes primo fere semper lædi; Cerebro autem vitiato idem semper in animalibus evenire; deinde longe magis lethalia esse vulnera quæ Medullæ spinalis initium afficiunt, longe minus quæ Cerebrum, inter hæc vero, periculosa quæ Cerebello inffliguntur; Hinc vitalibus

libus actionibus omnium minime prospicere nervos Cerebri, multo magis eos, qui provveniunt a Cerebello, omnium maxime eos, qui a suprema Spinali medulla producuntur. Præter hæc Apoplecticorum cadavera docent, morbum hunc fere semper Cerebri vitio proficisci, quemadmodum Articulo superiori dicebam.

De Apoplexiæ caussis internis

§. X.

1. PRoxima Apoplexiæ caussa constituta, cognitisque per ipsius historiam morbi ejusdem phænomenis sensu manifestis, statui non ægre possunt, & ad capita quædam redigi internæ caussæ, ex quibus morbus fit, & quibus proinde indicationes dirigendæ sunt.

2. Quoniam vero animales spiritus per subjectas partes feruntur; primo si a sanguine secernuntur; deinde, si per fistulas medullares cerebri ad origines nervorum, & partes memoratas promittuntur; idcirco caussa proxima Apoplexiæ nascetur vitio, vel Sanguinis non suppeditantis, vel Fistularum medullarium non transmittentium spiritus. Utrumque porro ex multis caussis contingere potest, hisce etiam, vel Cerebri vasa læduntur, vel contenti in iisdem Humores afficiuntur.

3. Illorum vitio Apoplexia produci po-

potest, quando ob Tumores, Vulnera, Senectutem, Humiditatem nimiam, aut aliam quamvis caussam comprimuntur, aut solvuntur, aut rigent, aut flaccescunt.

4. Vitio autem sanguinis, vel lymphæ, morbus producitur. Primo si ob copiam, aut impeditum a capite refluxum, aut ob tenacitatem, stagnaverit. Secundo si ob indolem mucosam, frigidam, effætam, minus apti evaserint spiritibus suppeditandis. Tertio tandem, si quacumque de caussa eorum appulsus ad capitis vasa fuerit impeditus.

5. Nonnulli, vitiis iisdem, animales spiritus interdum affici, indeque Apoplexiam, illamque præsertim, quam *positivam* ex præcordiis nominant, innixi simplicissimis conjecturis, proficisci quandoque putant; * Sed rei tam obscuræ proprietates divinari, hisque divinationibus superstructas curationes proponere, periculosum semper esse censebo.

* Helmont. tract. de Lithiasi cap. 9. a §. 41. ad 90. Grembs. Tract. Arbor Ruinos & Integr. Hom. lib. 2. cap. 1. §. 43. & seqq. lib. 3. cap. 1. §. 37.

§. XI.

QUi Apoplexiæ historiam diligenter contulerit cum iis, quæ de ejus essentia postremis hisce paragraphis dicebam, inveniet ita invicem omnia congruere, ut phænomenorum pene omnium caussæ, in morbi ejusdem theoria contineantur: scilicet.

Corollarium I.

Caussas prædisponentes, eo tendere, ut antecedente occasionali, facilius, vel vasa Cerebri comprimantur, aut flaccescant, aut horum diametri propter rigiditatem minores evadant, quam transmittendi spiritus requirunt, vel Sanguis, aut Lympha stagnent, sive horum copiam, vel cohæsionem augendo, aut impediendo eorundem refluxum per venas capitis, vel facilius, iidem humores mucosam indolem aquirant, aut alia ratione, ineptam spiritibus suppeditandis, vel facilius, impediatur Sanguinis appulsus ad Cerebrum, vel demum, horum plura simul nascantur.

Corollarium II.

Inveniet caussas occasionales, ob id Apoplexiam parere, quod excitent aliquam,

quam, vel multas ex memoratis, in vasis, aut humoribus cerebri.

COROLLARIUM III.

Deprehendet, signa, quibus morbum prænuntiari dicebam, esse effectus natos ex incipiente actione unius, vel plurium caussarum internarum, quas proponebam.

COROLLARIUM IV.

Conjunctæ Apoplexiæ inseparabilia, proficisci ex morbi caussa proxima, Contingentia vero, seu Accidentalia, ex vario gradu, & positione, tum caussæ proximæ, tum illius, quæ proximam fecit.

COROLLARIUM V.

Intelliget, exitus morbi quoscumque, pendere ex varia vi, & qualitate memoratarum caussarum internarum.

COROLLARIUM VI.

Læsiones functionum post Apoplexiam remanentes, sustineri plerumque ex superstite in Cerebro, aut humoribus caussa, quæ morbum produxerat.

COROLLARIUM VII.

Cognoscet tandem, quæcumque in Apoplecticorum Cadaveribus inventa sunt, ob id morbum fecisse, quod me-

moratarum caussarum aliqua, vel plures effecerit.

Quæ omnia, cum longum nimis sit explanare, eaque luculentius apud sæpius laudatos Auctores exposita videantur, idcirco ad curationem morbi continuo descendam.

Apoplexiæ therapeja singulis expositis caussis, accomodata,

§. XII.

1. QUoniam ex hactenus expositis, manifeste deducitur, varias, imo contrarias affectionis hujus caussas esse, ita clarissime etiam patebit, nullum inveniri posse remedium Apoplecticis omnibus utile, nec ullam Apoplexiæ curationem tradi posse, nisi primum, quibus præcipuis internis caussis ea nata sit, ut ad unamquamque singularem caussam medendi ratio accomodetur. Cum vero Medicorum alios, maximeque Veteres, nullo habito caussarum discrimine, morbi hujus curationem tradidisse animadverterim, alios paucis, Boerhaavium aliquanto pluribus, omnibus neminem, non inutile propterea Medicis futurum, provinciam hanc latius percurrere, puto.

ARTICULUS I.

1. UBi ergo Apoplexiam *a Flaccida, & difluente cerebri substantia*, natam esse constiterit, prognostico reliquendus est æger; si quid vero tentandum est, & cerebri laxitas remedia sentire valeat, Sinapismata, Vesicantia, Cauteria, tum actualia, tum potentialia, verbo, Stimulantia omnia, cæteris remediis, præferenda videntur; per hæc enim intus, forisque adhibita, nervos in cutem distributos, ore, faucibus, intestinis, indeque in cerebri substantiam, vellicari, cieri, concuti posse, manifestum est.

2. Quod si ex hac caussa oritura Apoplexia prævidetur, iis occurrendum auxiliis, quæ tollant, aut saltem imminuant illa vitia, ex quibus futurus morbus prospicitur. Prævideri autem præcipue potest ex generali solidorum laxitate, ex serosa, & pituitosa humorum indole, ex facili, & copiosa lacrymarum, & muci secretione, quam in laxioris ætatis, sexus temperamenti, animique hominibus, copiosiorem esse cognovimus; atque in his quidem Ce-

re-

rebrum languidum, humidum, laxumque est, quemadmodum Salomon Alberti, * & Valtherus * adverterunt: ex languore, & torpore sensim nato, sensimque increscente, actionum animalium, & præsertim mentis languor progignitur; Sæpe enim cerebrum mollius, flaccidumque inventum est in illis, qui infirmitate perceptionis, memoriæ, & judicii laborant, maxime autem ex præcognita caussa eadem in parentibus Apoplexia interemptis.

3. Quotiescumque ergo hujusmodi Apoplexiæ species prævidetur, roborantibus, & tonicis utendum est; remediis nimirum, quæ solidorum elaterem adaugeant, Vinum scilicet, Subadstringentia, Aromatica, Ferrum, Vegetabilia, Subaustera, Cæphalica, quorum apud Joannem de Gorter mentio est, quorumque Infusiones, Decoctiones, Syrupi, Conservæ, Extracta, Olea, diu, parce, & crebro usurpata, magnam in Apoplexia præcavenda utilitatem attullise, Medici, uno ferme ore, consentiunt.

* Tractatu de lacrymis.
* De Affectibus animi.

4. Interea redundans in humoribus serum, & mucus, sensim tollendus erit lenibus Exsiccantibus, Diureticis Errhinis, Scialagogis, de quorum materia, & præparatione, Celeberrimi Viri, Boerhave, Gorter, Geofroy, & Lieutaud præ cæteris egregie tractarunt, quæque in præcavenda *Apoplexia serosa*, a Practicis proponi consueverunt; Quod si propius Apoplexiæ hujus species prospicitur, utendum remediis, de quibus hactenus dicebam, sed eo promptius, & liberalius adhibitis, quo propinquior morbus judicabitur.

ARTICULUS II.

1. NUllam pariter spem esse censendum est, ubi Apoplexiam ortam conjiciemus a materia Sebacea, aut Mellea, aut Ceracea, quam *Steatomata*, *Atheromata*, *Melicerides* Græci nominant; Futurus autem ex hac caussa morbus prævideri potest ex pertinaci, nullique remedio cedente, sensimque increscente Capitis dolore, aut vertigine, aut imbecillitate visus, vel auditus, vel mentis, aut motu convul-

si-

sivo, aut paralysi in parte quadam singulari, tum ex defectu cæterarum caussarum, quæ mala hæc fovere possint.

2. Tandem ex Tumoribus ejusdem indolis, internas, aut externas partes occupantibus, tunc, si ulla præcavendi morbi spes est, hæc in remediis erit, quæ humores lente, ac sensim diluendo, attenuando, resolvendo, lentæ materiæ fluiditatem restituant, prohibeantque ne nova congeratur, cujus generis sunt, Aqua, Serum, Mel, Sapo, Gummi Ammoniacum, Terebinthina, Sassafras, Salsaparilla, Guajacum, Mercurius, Succi expressi, vel Decoctiones, ex herbis recentibus, Alkalinis, ita tamen adhibitis, ut diligentissime præcaveantur evacuationes humorum tenuiorum, & solidorum exsiccatio.

ARTICULUS III.

1. QUæ ex *Osseo tumore* cerebrum præmente genita est Apoplexia, Medicinam respuit omnem, quod si longius prospicitur ex pertinaci Capitis dolore, aut Vertigine, aut Paralysi, aut Convulsione partis, quæ Cerebri

bri auxilio moventur, tum rigidate generali solidorum, ex provectiori senectute, ex cognito vitio simili in aliis partibus, ex defectu cæterarum caussarum, ex deprehenso in aliqua parte Cranii leviter percussi sono, qui auctam ejusdem crassitiem significet; tunc, aut nullum spei locum relictum esse, aut in diluentibus esse putabit, qui cum Abrahamo Valthero, aliisque existimet ossificationes, tumoresve osseos, non secus ac calculos, progigni ex concretis partibus, viscidis, salinis, tartareis.

ARTICULUS IV.

1. MEdicinam quoque nullam sentire puto Apoplexiam *ex Substantia cerebri soluta, divulsa, lacera,* aut *coriacea, & callosa, aut tabescente* productam; Quin, futuram, vel ex his vitiis, vel illis, quæ supra proposui, Apoplexia, ut vix prospici, ita vix potest præcaveri. Quum enim vitia memorata, ex peculiari læsione Cerebri foveantur, idcirco Analogia destituimur, cujus auxilio, vitia hæc Cere-

bri

bri singularia, detegere possimus.

ARTICULUS V.

1. EX *Concretionibus Lapideis, aut Gypseis*, ut nata Apoplexia insanabilis est, ita, si præviderí potest ex manifesta in aliis corporis partibus, naturæ ad similes concretiones progignendas proclivitate, remedia adhiberi poterunt, quæ salinam, viscidam, tartaream humorum dyscrasiam immutent, ut per urinæ vias educantur, veluti sunt, Diluentia, Attenuantia, Aperientia, Diuretica, inter quæ peculiari vi, tartaream calculorum materiam, solvere, & evacuare valeant, Terebinthina, Mel, Sapo, Virga aurea, Cæpa, Porrum; Allium, Daucum, Eryngium, maximeque Acmella, & Parejra brava, similibus.

ARTICULUS VI.

1. INsanabilis etiam, & cito lethalis censenda erit; quæ ex *Apertis intra cranium Arteriis, aut Venis* Apoplexia, quam Fridericus Hoffmannus

nus, *Hæmorrhagiæ cerebri* nomine descripsit. Primo, quod impossibile sit sanguinem, sive intra Cerebri ventriculos, sive ad ipsius Cerebri basim effusum, educere; Deinde, licet sanguis effusus partes occupet, e quibus, terebrato cranio, educi queat, arduum tamen valde fiet, dehiscentes arterias, & venas e quibus sanguis continuo fluit, perstringere.

2. Licet Boerhaavio Arteriam vertebralem sauciatam, tridui spatio conglutinare contigerit, imperata copiosa sanguinis missione, cibo omni, præter aquæ potum, negato, corporis, & animi absoluta, & integra quiete, eâque corporis inclinatione, qua sanguis ad superiora, impetus, & gravitas minuitur; ita fieri aliquando posse colligimus, majorem quoque arteriam, & venam intra Cranii cavum patentem, iisdem auxiliis occludi naturæ virtute, proindeque Apoplexiam, quam hæc caussa produxerit, modo sanguis perforato cranio educi patiatur, aliquando resolvi possit.

3. Quod si prævideri queat, ex cruoris copia vasa nimium replentis, ex frequenti quacumque de caussa, impetu san-

sanguinis ad caput, indeque nato, colli, faciei, oculorum rubore, dolore capitis vehementi, arteriarum temporalium pulsatione, vertigine, ex olim frequenti, narium præsertim, hæmorrhagia deinde cohibita, ex laxitate solidorum; tunc utendum remediis, quæ tollant, aut imminuant morbos hosce, quorum præsentia, futuram Apoplexiam timemus; Sanguinis nimirum missionibus, Catharticis, Clysteribus, Victu, Potuque tenui, Refrigerantibus, Decubitu leviter erecto, quibus, eo præstantius, & liberalius uti conveniet, quo propinquiorem morbum, tum ex caussis prædisponentibus, tum ex morbi prænunciis, horremus.

ARTICULUS VII.

1. ÆQue pertinacem, imo deploratam esse Apoplexiam, quam *Polyposæ concretiones* intra capitis, aut Cordis vasa fecerunt, & ratione, & funesta experientia sæpe docemur; Si vero longius prospici potest ex signis, quæ circa finem §. 8. Art. 1. num. 7. proposui, summopere cavendum erit, ne

con-

concretiones hujusmodi, eousque producantur, ut, vel sanguinis appulsum ad caput per arterias, vel ejus per venas a capite refluxum, impediant; quamvis magnus Boerhaave polyposas tantum arteriarum concretiones inter Apoplexiæ caussas memoret, eas tamen intra sinus Duræ meningis, Venasque sanguinem a cerebro revehentes quandoque nasci, Apoplecticorum cadavera, & illis quorum observationes antea protuli, & mihi aliquando ostenderunt.

2. Concretionum hujusmodi incrementa, iis prohibere conabimur, quæ sanguinis tenuitatem conciliare possunt, & ejus quietem, aut motus inertiam impedire, assiduo nimirum, Diluentium, Attenuantium, Excitantium, lenissime Aromaticorum usu; Constat enim sanguinem concrescere, ubi quiescit, aut, ubi, cum crassior est, lente promovetur.

3. Vitandæ quoque frigidæ, & pituitosæ potiones, ubi præsertim corpus incaluerit, utroque enim modo intra vasa etiam sanguinem cogi, repetita experimenta, & ebservationes ostenderunt, quumque, dum bibimus, aerem retineamus,

mus, pulmones expandantur, antrorsum trahatur æsophagus, propiusque admoveatur proximæ arteriæ, ac venæ pulmonali, itemque & sinubus venæ cavæ, ac pulmonis, & cordi, idcirco, quando præsertim concretiones in memoratis vasis continentur, levi, ac tepenti potu utendum est.

ARTICULUS VIII.

1. HActenus Apoplexiæ caussas, quas Art. 1. §. 8. proposui, ea, qua potui diligentia perscrutatus sum, simulque demonstravi, non artis tantum, verum naturæ quoque vires superare, ubi illæ Apoplexiam fecerint, nisi fortasse aliquid sperandum in ea sit, de qua Artic. 6. hujus paragraphi dicebam.

2. De iis modo loquar, quæ, ubi Apoplexiam produxerint, raro admodum medicinam sentiunt, & fere citam mortem afferunt, neque facile præcaveri patiuntur, quando etiam, illam prædicunt.

3. Inter has *Tumores aquosi*, aut *serosi*, aut *purulenti* recensendi sunt, ex quibus, cum natam Apoplexiam conjici-

jicimus, quod symptomata aliqua præcesserint significantia constantem læsionem in aliqua Cerebri parte, hæcque diu afflixerint, antequam Apoplexia nasceretur; solidorum compages laxior, & flaccidior sit, humores aquosi, & serosi in sanguinea massa redundent, maxime vero, quod similes folliculos in aliis partibus, aut sensu, aut conjectura perceperimus, tunc, si aliqua spes est, in hujusmodi folliculorum distrutione, dein in Aquæ, vel seri hinc effusi eductione, aut resumptione, omnis sita est.

4. Non dissimiles quoque sunt indicationes, ubi ex *Purulento Abscessu* profectam Apoplexiam judicabimus, si frebris acuta inflammatoria cum Phrænitide primum conjuncta præcesserit, deinde cum aliquo soporoso morbo, veluti Comate, Lethargo, Caro, quod circa quartam, aut septimam, aut undecimam, aut decimamquartam, aut aliam diem, in qua tumores inflammatorii mutari in purulentos abscessus consueverant, febris manifeste decreverit, atque alia signa mutationis apparuerint, perseverantibus interea symptomatibus,

quæ

quæ cerebri læsionem designent.

5. Quamquam porro dificillimum sit memoratis indicationibus satisfacere, apertio tamen tumorum, eorumdem materiæ evacuatio, terebrato cranio, tentari aliquando poterit, modo hunc, & Cerebrum inter, ita sitos esse tumores conjiciamus, ut per illius foramen fluidum in illis contentum protrudi, & evacuari facile possit; Sin vero sedes eorum aliô sita est, ut nullis, aut vix aliis, quam fortioribus Ptarmicis (licet in his etiam, & parum spei, & multum discriminis sit), locus relictus est, hisce præsidiis potius, quam nullis, tentanda res est.

6. Cæterum per hæc, ut, sternutatione concitata, non humorum tantum, sed solidorum etiam motus excitantur, & augentur, verum Cerebrum etiam, & Caput concutitur, ita folliculos hosce, succussione distrahi, & disrumpi aliquando posse, manifestum est, præsertim, cum sternutationis, vel vehementis, vel repetitæ vi, ut vasa Capitis semper turgent, ita haud raro, vel arterias, vel venas intra cavum Capitis distruptas, indeque ortam Apoplexiam fuisse, certum est.

 7. Quod

7. Quod vero ad Seri, Puris, vel Aquæ resorbtionem attinet, laudata ex Ptarmicis remedia, ac præsertim leviora adhiberi eo consilio poterunt, ut aucta per Carotidis externæ ramos muci secretione, minorem aquæ copiam in Cranii cavum, internæ rami secernant, & effundant, proindeque venæ, quarum auxilio aquæ copia major intra eumdem secundum naturam fusa, resorberi consueverat, humores, qui ex disruptis folliculis effusi sunt, absorberi quoque possint.

8. Hisce tamen præsidiis Cathartica ex Hydragogis parata, & Emetica (modo summa prudentia, & judicio adhibeantur), jungenda sunt, de quorum materia, adhibendi ratione, cautelis, sine quibus præscribi nequeunt, præparationibus, dosi, efficacia, compositione, Auctores, Artic. 1. supra laudati, consulendi sunt. Per hæc enim, non solum motus omnes excitantur, & augentur, verum etiam serosorum humorum secretione, & evacuatione per alvum, & os adaucta, eorum etiam, qui intra cranium effusi sunt, resorbtio sperari, non sine ratione potest.

9. Su-

9. Sudorifica etiam, quæ a quibusdam in omni Apoplexia indiscriminatim commendantur, qualia sunt ex Aromaticis parata, Balsama pleraque, Camphora, Salia volatilia, Alkali ejusdem naturæ præbentina, Elixiria, Spiritus, Tincturæ cardiacæ, quorum virtus, probata satis est in Apoplexiæ speciebus illis, quæ, vel *pituitosæ* sunt, vel ad harum indolem referuntur, eo etiam consilio in hac adhiberi poterunt, quemadmodum etiam Cucurbitulæ siccæ, Fotus, Frictiones, quorum vi ad corporis ambitum revocantur humores, huc facere possunt; quod a Diureticis, ea ipsa ratione, per Ureteres expectari aliquando posse, observata demonstrarunt.

10. Licet hactenus de Venæ sectione nulla verba fecerim, ab ea tamen morbi hujus initio, & antequam memorata subsidia admoveantur, aut prorsus, aut semper abstinendum non puto, nisi Temperamentum pituitosum nimis, & Cacheticum sit; depletis enim sanguiferis vasis, quæ ex aqua, vel redundante pituita, turgebant, venulas in cavis patentes, humores in iisdem

effusos avidius absorbere posse, verosimile est. Si vero ex iisdem caussis futurus morbus perspicitur, ejusdem generis remediis præcavendus erit, ita tamen ut illa, majori, minorive morbi proximitati respondeant.

ARTICULUS IX.

1. INter lethales Apoplexias, ea quoque recensenda est, quæ ab *Humore mucoso*, aut *aquoso*, aut *seroso* intra Cerebri ventriculos, vel ad Cranii basim effuso producuntur; Hæc vero ab aliis discerni aliquando potest, Temperie pituitosa, serosa, Cacochima, hebetudine prægressa, tarditate actionum omnium, præsertim vero sensuum internorum, quæ, lente nata febre, sensim increverit; ex prægresso morbo, quo signa materiæ pituitosæ, serosæ, ichorosæ ad caput traductæ, apparuerint, Scabie, scilicet, Arthritide, Scorbuto frigido, lento, acido, Urinæ suppressione, Febre, ob vitium, & copiam aquosorum, & pituitosorum humorum, oborta, Diarrhæa mucosa, aut serosa, Vomitu frequenti aquosæ, vel mucosæ ma-

materiæ, Ulceribus copiosum ichorem fundentibus, similibus; ex prægressa occasionali caussa, quæ aqueum humorem nimium auxerit, vel accumularit, ut Aquarum immodico potu, perspiratione cohibita; ex effusione denique humorum similium, intra cavum Thoracis, Ventris, Scroti, Cellularum adiposarum.

2. Quando igitur ab hujusmodi Corporis constitutione morbus prævidetur, si qua spes curationis est, in remediis, quæ Articulo superiori commendavi, sita est; In his nempe, quæ seri, muci, puris evacuationem excitant, per alvum, æsophagum, nares, glandulas salivales, cutem, renes, nec non his, quæ humores eosdem ab interioribus, ad ambitum corporis alliciendo, revellunt; Ut enim per memorata remedia in pectoris Hydrope, in Ascite, in Leucophlegmatia, in ipso demum Hydrocephalo absorptos, eductosque hujusmodi humores interdum novimus; ita in Apoplexia attrahi quoque posse, & educi, manifestum est, licet aquam & serum, quam mucosum humorem, exhauriri facillimum sit.

 3. Pa-

3. Patet hinc, vix, aut nullo modo, hanc Apoplexiæ speciem sanari posse, quando effusus humor acredine sua, Cerebri substantiam, pungendo, & rodendo, labefactaverit. Quando autem talis Apoplexia, ex signis, quæ supra proposui prævidetur, iisdem remediis præcavenda erit, non secus, ac ubi lentus, & mucosus humor in caussa esse judicabitur; Incidentibus, Attenuantibus, Resolventibus quæ Artic. 2. hujus paragraphi, indicabam: Si vero ob acrem humorum indolem, vasorum erosio, indeque humorum effusio, & Apoplexia prospiciuntur, omissis validioribus Ptarmicis, Emeticis, Sudorificis, Frictionibus, Hydragogis, Diureticis, nec non remediis, quæ cognitam acrimoniam corrigant, insistendum est.

ARTICULUS X.

1. IN mortem cito transire quoque solet Apoplexia, quam *Sanguis*, vel intra Cerebri cava, vel ad hujus basim, ex vasis sanguiferis minoribus effusus, fecerit, quæ postquam sanguinem effuderint, longe facilius, majoribus

bus vasis, de quibus §. 12. Artic. 6. dicebam, occluduntur, in qua tamen, si qua salutis spes est, in copiosa Sanguinis missione, & Evacuantibus per alvum, omnis est; horum enim auxilio sanguis a Cerebro divertitur, absorbetur: Si vero hisce caussis futura prospicitur, remediis iisdem, Artic. 6. propositis, præcavenda est.

ARTICULUS XI.

1. EX *Sero*, *Lympha*, *Pure*, *Cruore* ad superiorem Cerebri partem, aliquando inter Cranium, & Duram Matrem, alias inter hanc, & Piam, effusis, Apoplexiam quandoque nasci, Artic. 3. §. 8., memorabam. Quomodo autem, aut nata, aut futura prævideri queat, ex his, quæ Articulis 1. 2. 3. 4. 5. 7.8. hjuus paragraphi superius inuebam, satis, ut opinor, superque patebit.

2. Quemadmodum etiam, sic satis colligi posse arbitror, ex iis potissimum, quæ Artic. 6. & 9., indicavi, num Apoplexiam fecerit, vel Sanguis, vel Aqua, vel Pus, quibusque remediis unaqueque caussa tractanda sit. Verum, ubi memora-

ratos humores in Cerebri superiorem partem effusos esse constiterit, & indicata præsidia frustra adhibita fuerint, horum eductio, quamquam id etiam incertis auspiciis, Terebrato Cranio, aut etiam, incisa Dura Matre, temeraria via, & ancipiti, juxta Celsum,* remedio, tentanda erit.

ARTICULUS XII.

1. LOnge facilius medicinam sentit Apoplexia, quæ ex *Accumulato*, & *Stagnante intra Cerebri vasa Cruore* profecta est. Hæc autem dignoscitur ex occasionali caussa, quæ sanguinis volumen auxerit, vel impetum versus caput, vel ejusdem ab eo refluxum impediunt, uti sunt repressa Lochia, Menses, Hæmorrhoides, Hæmorrhagia quævis ingens, itemque Crapula, Ebrietas, Somnus diuturnus, maximeque is, qui deorsum reclinato capite, ducitur, Ira vehemens, Exercitium, Risus immodicus, & inexplebilis, Tussis diu, & sine intermissione perseverans,

* lib. 2. cap. 10.

rans, Venarum jugularium compressio, Nixus validus, Terror ingens, fortis aliquis Animi motus, Cardiaca, Volatilia, Emetica, Ptarmica, Concutiones, sanguifera thoracis, aut abdominis; aut artuum vasa comprimentes, quales interdum Epilepticis, Hypocondriacis, Hystericis contingunt, Frigus ingens, tum ex prægressa acuta febre, maximeque Peripneumonica, Pleuridite, Angina, Phrænitide, quorum morborum vi, phlogisticam tenacitatem, & densitatem, sanguis aquisierit.

2. Præsens autem dignoscitur, ex faciei, oculorum, colli tumore, ac rubore intenso ad purpureum accedente, ex tumore vasorum sanguineorum, quæ per collum, faciem, caput repunt, ex defectu tandem signorum, quibus, sanguineorum vasorum intra cranium rupturam, indicari dicebam. Auxilia, quæ in hujus Apoplexiæ specie opportuna, constans observatio detexit, id universa præstare videntur, quod morbi naturæ contemplatio suadet, ut sanguinis ex capite impetus, & copia avertatur, eique liber, per ejusdem vasa, motus restituatur.

3. De-

3. Detraendum ergo extemplo, & quidem copiose sanguinem, omnes cum Hippocrate * consentiunt, post Gundescheimeri, Vulpini nostri, & Musitani etiam, argumenta, qui, nostra ætate, Paracelsistarum, & Helmontianorum *Hæmophobiam*, magna ex parte renovare, conati sunt, venæ sectionem in Apoplexia quoque rejiciunt; neque semel tantumodo, sed brevibus intervallis, & iterum, & tertio mitti opportere, atque etiam quarto, si post has, pulsus durus, fortis, & intumescentia vasorum, adhuc perseveret; *Nihil* enim *magni, permagnum auxilium conferri*, recte monuit Aræteus, *si sanguinis minus mittatur, quam caussa postulaverit*; ac ex jugularibus quidem venis, citius capitis vasa depleri, proindeque utilius educi putant multi, ut Arabum plerique, Alexander Trallianus, Soranus, Actuarius, Cesalpinus, Prosper Alpinus, Hildanus, aliique, & ex nuperrimis, Boerhaavius, Senachius, Trallesius.

4. Nonnulli vero, ut Concivis meus Botallus, Marcus Gattinara, Alexander

* Epidem 2. V. 21.

der Massarias, & ex recentissimis, Martinus, & Silva pernegant, quod accellerari in Carotidibus, & ad Cerebrum derivari sanguinem putent, ubi jugularis vena secatur. Mediam optimamque, ut opinor, tenent viam, qui, pedis primum, aut potius cum Hipp., brachii venam tundendo, sanguinis copiam imminunt, deinde jugularem secant. Cum enim vena hæc, antequam tundatur, comprimi soleat, ut restitante cruore, & in conspectum veniat, & renitens, scalpelli aciem, non effugiat, novam sanguinis copiam intra vasa Capitis jam distenta per Carotides derivari necesse est.

5. Neque recte, ut arbitror, Rolandus Jackson celebris inter Anglos, non multis abhinc annis docuit, ligata vena, sanguinis motum in hac sisti, hinc in arteriam sociam, quæ proinde, cum, accedenti novo sanguini magis resistat, sanguis idem, ad reliquas liberas derivetur; Nam, ut alia omittam, quotidie videmus, sanguinem intra vasa, tum interna, tum externa, aut capitis, aut artus, aut alterius partis, cito, & majori copia accumulari, ubi constricto,

vel

vel collo, vel artu, vel alia parte, venæ comprimuntur; Contra vero in Apoplecticis, haud semel sectam, absque prævia compressione jugularem venam, indeque, morbum statim imminutum, visum est, ut proinde verum non sit, quod Jakson existimat, venarum jugularum sectione, si absque ligatura fiat, ad cerebrum, sanguinem derivari.

6. Basilicæ brachii dexteri sectionem, post hæc, valde juvare docuit Hippocrates, ex manu dextera Aetius (qui tamen, cum Veteribus, manus nomine, totum id passim intelligit, quod a summo trunco dependet), ex vena frontis Heurnius, ex arteria temporali, ejusque ramis Severinus, & Swieten, ex poplitea Mattheus de Gradibus, ex raninis, & venis narium internarum, Lancisius, & alii: Manifestam, & citam quoque utilitatem attullisse Cucurbitulas, præmissa crebra, & profunda scarificatione, admotas cruribus, aut lumbis, aut scapulis, aut brachiis, maximeque sincipiti, aut occipiti, multorum observationes, & ex meis nonnullæ, * testantur.

7. Non

* in Anglo §. 7. num. 6. memorato, & aliis.

7. Non desunt etiam,qui cum Aetio, dorso, & hypocondriis cucurbitulas admoveri utiliter asserant; Verum respirationem, ex vulneratis hisce partibus, difficiliorem reddi oportere, Ballonius advertit. In Apoplectico demum, in quo venæ, ob nimiam corporis obesitatem inconspicuæ manebant, solis Hirudinibus, corpori propemodum universo, affixis, eductò copiose sanguine, restitutam sanitatem, Valeschus de Taranta, observavit.

8. Cæterum, ubi, post brachii, & jugularium sectionem, nova sanguinis missio, vel cucurbitulis, vel aliarum venarum pertusione, vel demum Hirudinibus, oportuna satis judicabitur, hanc, tum in superioribus partibus, tum ex illis, quarum venæ majores, tumidioresque videbuntur, instituere præstabit.

9. A Sanguinis missionibus, ad humorum copiam per alvum minuendam, cura omnis dirigenda est, horumque impetus a capite avertendus: Adhibenda autem sunt Cathartica, non quæ fortiori stimulo exagitant, sed quæ, laxando potius, ac leniter irritando, humo-

mo-

mores alliciunt, & educunt, ut sunt Tartarus, Rhabarbarum, Agaricus, Senna, Tamarindi, quorum, ut etiam Clysmatum, aut Glandium aliquanto acriorum usus, retinendus est, donec levis Diarrhœa excitetur; Si vero deglutitio difficilis est, aut impedita, solis glandis, & clysmatibus utendum est. Si autem alvi sphinter resolutus est: purgantia Abdomini adhibenda sunt, inter quæ, Unguentum de Arthanita majus excellit, adhibendique noduli intestinales.

10. Post hæc, Frictionibus primum, Cucurbitulis siccis, dein Balneo, cruribus admotis, sanguis a capite revellendus est; Fotus ea ipsa ratione iisdem partibus, & capiti ad sanguinem Cerebri vasis impactum, resolvendum, maximo jure commendavit Hippocrates. Per hæc enim, multo facilius, promptius, tutius, si fieri potest, sanguis resolvi verosimile est, quam interno Aperientium, Attenuantium, Resolventium usu, quem multi commendant.

11. Inter hæc etiam, crurum Ligaturæ supra genu, quæ sanguinis per venas ascensum prohibeant, descensum

ve-

vero per arterias non impediant, copiam, & impetum illius a capite averti, sæpe visum est, in narium Hæmorrhagiis immodicis, in Hæmoptysi copiosissima, in Hystericis, aut aliis quibusvis Capitis affectionibus, quæ ex accummulato intra caput, ex impetu, sanguine pendeant; eoque magis proficient, si æger erecto trunco, declivibus cruribus, nudo capite, parum tecto reliquo corpore, collecetur; *καταρροπίη* verbo, omni arte excitetur.

12. Sinapismata denique, & Phænigmi plantis pedum, tibiis, femoribus, brachiis, scapulis, cervici, aut horum pluribus, sanguinem ad has partes ab interioribus derivando, impetum, & copiam ejus a capite avertere, multorum observationes, & ratio docuerunt; Fortioribus tamen Epispaticis, & Vescicantibus, quæ solida nimium irritando, humoresque validius accellerando, vasa proinde Cerebri multo cruore distenta, disrumpere possunt, summo judicio, & prudentia utendum est.

13. Toto interim morbi decursu, Calefacientia quæcumque, tam externa, quam interna, vitanda sunt, sedeat

po-

potius, quam decumbat æger, sin minus, declivioribus saltem pedibus, erectâque cervice, & capite jaceat; Victu ac remediis utatur, quæ motum humorum, fervoremque compescant, & eorum quantitatem imminuant.

ARTICULUS XIII.

1. INter Apoplexiæ species, quæ medicinæ virtutem minus ægre sentiunt, illa etiam est, quæ *a Sanguine inerti, pituitoso, mucoso* Cerebri vasa replente, ibique accumulato, & stagnante producitur, quæque proinde *Pituitosa*, vel *Serosa* vocatur. A reliquis autem distinguitur, quod Senes frequentius corripiat, Hyeme pluviosa, atque Austrina Cæli Constitutione, qualis est plerumque, Romana, * frigido, & humido victu utentes, Otiosos, Somnolentos, Obliviosos, Catarrhosos, *Dyspepsiæ* obnoxios, Pallidos, laxioribus carnibus præditos, sero, & muco reple-

* Vide Lancisium dissertatione de nativis Romani Cæli qualitat. cap. 6. pag. 22. & . Lettere Meteorologiche Romane di Atanagio Cavalli tom. 1. lett. 11.

pletos, Arthritide, aut Scorbuto frigido, aut humido Asthmate, aut Hydrope, aut frigidis demum fluxionibus, morbisque laborantes, tum, quod diu præcedant signa, quæ similis caussæ in capite, aut cerebro incipientem actionem denotant, veluti mentis, & corporis hebetudo, levis membrorum tremor, stertor, incubus, oculi pallidi, tumentes, & caliginosi, frequens per vomitum, aut alvum, phlegmatis excretio, fauces muco, aut saliva viscida crebro obductæ, copiosus e naribus mucus, urina pallida cum sedimento albo, mucoso, & similia.

2. Dignoscitur etiam ex eo, quod, ubi per nares, aut aliam viam mucosus humor copiosius excretus fuerit, toties symptomata, quæ Apoplexiam prænunciabant, mitescere cæperint, quod in hac Apoplexiæ specie jam nata, calor in corpore universo, maximeque in artubus decrescat, facies tumeat quidem, sed pallida sit, vel longe minus, quam in Apoplexia sanguinea, rubens; quod denique lentus, mucosus salivalis humor, ad nares, os, fauces appareat, aut etiam per alvum vel uri-

nam excernatur, aut asperam arteriam, & pulmones etiam infarciat.

3. Statim igitur fortiora Cathartica, & ea maxime quæ Phlegmagoga dicuntur, adhibenda sunt, acrioribusque Clysmatibus, usque utendum, donec levis diarrhæa nascatur; hac una, quam copioso marini salis in aqua soluti haustu, & clysmate excitaveram, optimum Chirurgum Fabiani a primo morbi insultu, restitutum memini. Per hæc enim remedia, evacuato præter cætera, quæ ventriculo, & intestinis continetur, harum partium, muco, non massam sanguineam tantum in inferiora hæc, indeque a capite derivamus, verum aqueam etiam, mucosam, & inertem sanguinis portionem, ob id allicimus, quod, ubi secernendus humor in sanguine redundet, eo fere sit ejus secretio copiosior, quo major est evacuatio.

4. Licet nonnulli Emeticorum utilitatem eodem nomine commendent, quoniam tamen vomentibus, sanguis ingenti impetu, & copia capitis vasa distendit, cautioribus propterea Medicis eorum usus suspectus est, si præsertim ante adhibeantur, quam humores im-

mi-

minuti, & in partes a capite remotas derivati fuerint; Hisce contra, præmissis, magnam quandoque afferre posse utilitatem, ubi stomachus præsertim (quod sæpe fit) suam ad morbum symbolam confert, Illustri Procuratoris exemplo, octo abhinc annis, Vino Emetico servati, confirmare possum.

5. A sanguinis etiam missionibus plus detrimenti, quam utilitatis proficisci, qui cum sanguine, non morbi caussam, sed vires adimi putant. Nonnulli vero in hac etiam Apoplexiæ specie, ut in alia ferme quavis, sanguinem utiliter mitti docent, quod in Apoplecticorum fere omnium capite sanguinem majori copia accumulari, lentumque etiam, & viscidum humorem una cum sanguine detrahi credant. Boerhaavius, Swietten, & alii rem periculi plenam arbitrantur.

6. Mihi optimum Celsi * consilium videtur, qui, si ullum aliud auxilium appareat, & periturus sit qui ita laborat, nisi temeraria quoque via, & ancipit, remedio fuerit adiutus, in hoc sta-

* lib. 2. cap. 10.

statu boni Medici esse, ait, ostendere quam nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique,quantus in hac ipsa re sit metus, & tum demum, si exigitur, sanguinem mittere; Medicorum præterea pene omnium consensu mittitur sanguis in inflammatione viscerum quarumlibet, quamquam illam non cruor, sed mucosus humor catarrhalis, & pituitosus primum fecerit. Cæterum si frigidum corpus est, male pastum,cacheticum, pallidum, pituitosum, venæ sectio perniciosa est.

7. Hisce igitur, & Emeticis, hoc in casu prætermissis, ad ea quæ humores in partes a Capite remotas alliciunt, confugiendum est; hinc artus spongiis, vel vapore perpetuo fovendi, Cucurbitulæ siccæ,artubus, dorso,cervici,donec cutis rubescat, sinapismi, & vescicantia, femoribus, tibiis, brachiis, plantis pedum, occipiti admovenda sunt. Apoplecticum, vescicante toti superficiciei capillatæ capitis,a summo Viro Thoma Argenta meæ Patriæ Archiatro, servatum recordor.

8. Nonnullos setaceo, alios cauterio actuali, aut prope concursum su-

tu-

turæ sagittalis, aut occipiti, aut plantis pedum, aut etiam scrobiculo cordis excavato, morbo servatos, legimus. Quidam ex Auctoribus Arabibus, sartaginem candentem capiti adeo proximam admoveri suadent, ut capilli comburantur; alii fasciis vini spiritu imbutis caput tegunt, easque, admota flamma, accendi jubent. Mistichellius Apoplecticorum non paucos, cæteris frustra adhibitis, inusta in pedum plantis cute, per candentes ferreas laminas, hic Romæ excitasse, & servasse refert, hocque genus auxilii adeo commendavit, ut Medici in postremo Angliæ REGE GEORGIO II. nonnullis abhinc annis, licet frustra, adhibere non dubitarint.

9. Apoplecticam mulierem prælongaacicula in pollicem pedis, carnem inter & ungues adacta, momento citius excitasse, narrat Henricus ab Heer. Multi evulsis pilis, quidam etiam, fronte, sacchari solutione, madefacta, indeque muscis allectis, alii, aliis modis, Apoplecticos excitasse testantur. Cæterum perraro admodum, irritantibus hisce, causticisque, una propemodum auctoritate Arabum com-

mendatis, servati sunt Apoplectici, quos mitiora, & humaniora remedia, non excitarunt.

10. Ubi per hæc, cerebri materies, & ejusdem pressio imminuta fuerit, lentescentem sanguinem, & pituitosum ex cognitis, remedium, promptius attenuare, & dissolvere verosimile est, nullumque torpentes motus validius excitare, quam Vesicantia ex Cantharidibus parata, partibusque ante memoratis applicita, satis superque ex Baglivio * demonstravi §. 8. Animadversionum Practicarum Dissertationis meæ de Peripneumonia anno 1775. vulgatæ.

11. Hunc in finem, naribus, ori, temporibus, admoveri quoque, & commendari solent, & si deglutitio supersit, intus etiam, aqua copiose diluti, sales volatiles ex Armoniaco, Cornu Cervi, vel Mannæ, quem spiritum vitæ appellant, & similia; vitatis semper spiritibus mere vinosis, quorum vi humores, post cito evanescentem motum & rarefactionem cogi, observationibus docemur.

12. Cæ-

* Dissertat. de usu, & abus. Vesic.

12. Cæterum prudenter, parce, ac sensim attenuantibus hisce, & stimulantibus, utendum est, si nullum præsertim, aut exiguum levamen revellentia attullerint, proindeque pressionem cerebri perseverare judicamus. Cum enim copiosiori, vel intempestivo eorum usu, humorum motus augeatur, materiam quoque morbi, in angustias vasorum cerebri, altius impingi, copiosiusque accummulari, timendum est.

13. Ubi vero morbus a longe prævidetur, modo memoratis remediis Incidentibus, Attenuantibus, & Resolventibus, intus prudenter adhibitis, maximeque Errhinis, Ptarmicis, Scialagogis, præcavenda erit, ita tamen ut, quoniam morbus patitur moram, neque tot simul, neque tam valida, nec tam copiose adhibeantur.

ARTICULUS XIV.

1. A Sanguinis, proindeque spirituum *jactura per Hæmorrhagiam* producta, Apoplexiam quoque nasci §. 5. docebam; hæc ubi orta, aut futura prospicitur, his quæ sanguinem,

& in cerebrum derivent, & reparent, corpore, nimirum, ita ad horizontem composito, ut inferiores artus, & corporis truncus, altior aliquanto sit quam caput, tum frictione artuum, qua sanguis interiora versus, & ad caput determinetur, Cardiacis, & Volatilibus, quæ sanguinis volumen, & motum leviter augeant, Victu leni, tepido, hudo, parco, crebro, Analpetico, & sanguinem cito reficiente, curare oportebit.

ARTICULUS XV.

1. QUam *Frigus* in gelidissimis regionibus vel facit, vel futuram Apoplexiam prænunciat, hanc corpore intra nivem demerso, frictionibusque ex ea curari, Septentrionalium Observationes docuerunt. [a]

2. Si a *retropulsa Scabie* morbus nascatur, aut prævideatur, fotubus universo corpori assidue admotis, diaphoreticis, urticatione, conandum est, ut pustularum materia ad cutem iterum vocetur. [b]

3. Ab

a Quæsnay cap. 18. Vandermonde journ. de Medic. Juin. 1758. Quelmalz. Programm. de Effect. acrioris frigor. in Corpore humano.
b Histor. Morb. Uratislav. Anni 1699.

3. Ab *intercepto Tabi ulcerum fluxu*, Cerato, aut Cantharidum pulvere, iisdem admoto, tum alibi interdum, tum in Xenodochio Incurabilium, sæpius imminentem Apoplexiam, excitato pure anteverti. Eâdem ipsa ratione, cum *Setaceis*, & *Fonticulis*, eo ipso discrimine interclusis, agendum est. [a]

4. Si a *repressa Arthritide*, articulis, qui laboraverant, frictiones, fotus sinapismi, vesicantia, ut in eosdem articulos materia derivetur, adhibenda erunt. [b]

5. Si ex *Urinæ suppressione*, laxantibus, emollientibus, sanguinem attenuantibus, vel motum compescentibus, prout explorata suppressionis caussa postulaverit, secretio iterum revocanda erit.

6. Apoplexia *periodica*, ut symptomatica semper est, ita, curata febre, aut morbo, ex quo plerumque generatur,

a Vide Etmuller. in Colleg. Consult. Cas. 43. pag. 90910. Frideric. Hoffman. Medic. Ration. tom. 3. Cap. 8. de damnis ex cohibita cuticulari excretione pag. 26.

b Musgrav. cap. 15. pag. 279. de Apoplexia Arthritica.

tur, auferri potest, eamque peruviano cortice, in Sacerdote ex Carmelitarum familia, fugavi. [a]

7. Quam *Carbonum halitus* fecerat etiam fortissimam Apoplexiam, cito sanavit, interdum Aqua frigida, copiosissime pectori, & faciei superinfusa, interdum, corpore frigido, puroque aeri exposito, aliquando compressis naribus, primum magna vi, & copiose intra os, & pulmones, inflato, deinde, ubi pulsus, & respiratio reddierunt, venæ sectio, concussio, frigidæ aquæ, maximeque aceti perfusio, acetum ipsum, volatilia, excitantia, naribus, & labiis admota, interdum suffitus copiosus ex aceto acerrimo, & castoreo [b]. Quæ omnia, in ea quoque Apoplexiæ specie, quam *Musti*, aut *Thermarum sulphurearum halitus*, aut *Nicotianæ fumus* fecerunt, utiliter adhiberi posse, certum est. [c]

8. Si *Hydrargyri halitu* profecta est resolutio, frictionibus, cardiacis, vola-

a Werlhof. Observ. de febrib. pag. 21. Sydhenam Epis'. respons. 1. ad Robertum Brady pag. 41.
b de Mez-r y Malad. des Armee n. 24.
c Petrus Borelli Obs. 4. Cent. 2.

latilibus, excitantibus, purgantibus, acidis, quæ narcoticam halituum vim corrigant, & educant; hanc sulphure sublimato vino infuso, curari tradit Poterius. [a]

9. Quæ tandem ex *ingesto Veneno* nata est, aut prævidetur, curanda primum emeticis, purgantibus, sudoriferis est; deinde lacte, aut ejus sero copiose epoto, aquosis, oleosis, saponaceis, remediisque veneni cognitam indolem specifica vi corrigentibus. [b]

10. Cæterum dum in hisce Apoplecticis hæc aguntur, negligenda minime sunt ea, quæ ægroti indoles, morbique species postulabunt.

§. XIII.

Corollarium I.

SI non ex una tantum caussarum, quas superiori §. proposui, Apoplexia sananda, aut præcavenda est, ma-

a Pharmacop. Spargir. Sect. 3. Lyster Exercit. de Lue Vener.

b Oosterdyk Institut. Med. Practi. de Apopl. cap. 10. pag. 94.

manifestum etiam apparet, curationem ita institui oportere mixtam ex his, quæ ad singulas caussas proposui, ut urgentiori remedia præsertim adhibeantur.

COLLORARIUM II.

Ex his etiam, quæ de Apoplexia quaque curanda, & præcavenda dicebam, satis, opinor, colligi potest, quænam curatio conveniat symptomatibus, aut morbis, quibus sæpe laborare dicebam eos, §. 8. quos Apoplexia, non sustulit.

COROLLARIUM III.

Si in Apoplecticis aliquid sponte nascatur, cujus auxilio morbum interdum solvi §. 7. dicebam; cavendum diligenter, ne, quæ naturæ providentia fiunt, arte turbentur, ideo, tum paucis admodum, hisque fere tantum, quæ crysim adjuvent, utendum erit.

§. XIV.

1. ALiquis fortasse, me de unico tantum morbo, multa nimis dixisse affirmabit; alius contra, si Apoplexiam omnium soporosarum affectionum,

num, omniumque resolutionum principem, longius aliquanto pertractassem, horum quoque morborum, & multorum, qui inde pendent cognitionem, & curationem tradere, & copiosius, & diligentius potuisse, putabit; Si utriusque laudabile desiderium est, alter alterius rationibus aquiescet; Sin autem, ex his, alter tantumodo audiendus est, alteri saltem responsum esse censebo.

FINIS.

Juvat immemorata ferentem
Ingenuis, oculisque legi, manibusque teneri.

Horat. Epist. lib. 1. Epis. 19.

LECTURIS MONITUM.

QUum quatuor obhinc annis, primum Commentarium pro specimine ad Cathedram in Romano Archilyceo assequendam, pridie Idus Decemb. propositum, publici juris facere statuissem, manumque operi, Sapientissimorum Virorum consilio, jam admovissem; vastissimum hoc, gravissimumque argumentum evolvens, amphoram, quam extemplo, tunc instituere ceperam, admotam rotæ, in urceum facessere adverti; Lectoribus gratum fore putavi, si illud, quasi Compendium ipsius, qui ex illo natus est de Apoplexia Tractatus, eidem subnecterem. Alterum vero, eadem ipsa de causa Idibus Novembr. subsequentis anni genitum, quamvis nullam cum præcedentibus rationem haberet, ideo, primo junctum, libenter etiam visuros sum ratus, quod, æque dignum prælo Societatis Regiæ Londinensis, judicatum sit. Habete ergo.

COM-

Ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ἐξαπίνης ὀδύναι ἐγγίνονται ἐν ταῖς κεφαλαῖς, καὶ παρακρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ ῥέγκουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέραις, ἐὰν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ.

Hipp. Lib. de Judicationibus Sec. 2. *Cap.* 7. *text.* 52. *Edit. Makianæ.*

§. I.

HIppocraticæ doctrinæ constantiam, & veritatem nulla umquam ætate deleri, viginti circiter sæculorum firmas observationes a Celeberrimis Viris passim institutas demonstrare, eamque Summos in Arte Magistros Sydhenam, Boerhaave, Baglivium, Ballonium, Swietten, Gorter, De Haen, Huxam, aliosque nostris hisce temporibus magno Artis incremento confirmasse, eorum monumenta, leviter etiam versanti, latissime patebit. Licet autem Divini Senis præstantia ex omnibus ejusdem operibus eluceat, mira tamen ejus sapientia, & ingenii vis, ex Epide-

demiorum, Prorrhetic., Coac. Præsag, & Aphorism. libris, adeo effulget, ut Græcia, quos Herculi propter ejus merita contulit honores, ob id Hippocrati, summo jure divinos, publice decreverit. Valde tamen dolendum est, tanti Viri monumenta, alia sæculorum injuria omnino periisse, alia Scriptorum subsequentium ignorantia, mutilata, & perversa, partim denique Amanuensium avaritia adulterata, ad sæculi primi ferme dimidium pervenisse, diutiusque fortasse deturpata,& neglecta jacuissent, ni Erotianus in illa diligentius inquisivisset; hæc enim in ordinem quemdam digessit, veraque a falsis secrevit, divinæque mentis Galeno, felicioribus auspiciis, sequenti sæculo illustranda reliquit. Utinam vero planam, puram, integram, Hippocraticam scientiam Nepotibus suis tradidisset, iisque arcana illius,penitus reserâsset! Verum gravis, & contracta nimis Divini Præceptoris oratio plurium sæculorum industriam, Summorumque Virorum studium, ulterius postulabat, ideoque ea ipsa cura, ad suos etiam descendit Alumnos. Nec vacat,nec locus est, eos omnes percur-

rere, qui in evolvendis, Hippocraticis scriptis eximia cum laude ad nostra usque tempora insudarunt, tum quod nimius essem, tum quod a Celeberrimis Mercuriali, Martiano, Heurnio, Hallero, & Zuingero, hac de re dicta, repeterem; Satis propterea sit Jacotium, Duretum, Hollerium, Ballonium, Valesium, Salium, ipsumque Martianum Hippocratis genios memorasse, quorum patientia, & peritia in evolvendis, & enucleandis Hippocraticis scriptis ea est, ut cæterorum conatus evicerit. Facile hinc Sapientissimi Patres, intelligitis quanti semper habita, habendaque sint Divini Dictatoris oracula, unde non immerito Galenus lib. 3. de Crisibus scripserit. Ο μὲν ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ συμπάντων ἡμῖν τῶν ἀρίστων μαθηματων ἡγεμών. Hippocratem, nempe, nobis omnibus Ducem, & Auctorem optimarum disciplinarum extitisse. Sano proinde consilio Academiæ Vestræ legibus sancitum est, ut, qui Juvenum animos primis Medicinæ rudimentis imbuere debent, illa ab inexhausto tanti Præceptoris fonte desumant.

§. II.

§. II.

NEmo, vel leviter in arte versatus nescit, summum Parentem in Dogmatica Medicina statuenda, ea ratione egisse, ac Jurisperiti, & Astronomi facere solent, quorum primi ex ipso facto sua jura deducunt; hi vero a jugi constantique siderum contemplatione sua theormata condunt. Re enim vera, quid aliud, legentibus aurea ejusdem volumina, offerunt, quam Canonum, Legumque Codices, queis methodica medicina fulcitur? Nitidissimum argumentum, hodierna die illustrandus exhibet textus, ex citato libro desumptus. *Quibuscumque, ajt, sanitate fruentibus, derepente Capitis dolores obveniunt, confestimque voce privantur, ac stertunt, intra dies septem pereunt, nisi febris prehenderit.*

§. III.

TEterrimam, frequentissimamque affectionem, qua nostris præsertim temporibus miserum mortalium genus laborat, paucissimis circumscriptam

verbis, in proposito textu contineri, nemo vel parum in medicis versatus ignorat. *Quibus per sanitatem*, nullis scilicet adversæ valetudinis præcedentibus signis, *repente*, non paulatim, neque ex manifesta caussa, *capitis doloribus, et confestim*, uno quasi, eodemque tempore, *Cæphalea*, *Aphonia*, & *Roncho* corripiuntur, *vox dificit*, *ac stertunt*, musculis nempe vocalibus, vel convulsis, vel resolutis, unde stertor proficiscitur, *intra dies septem*, spatio videlicet, quo acutissimi morbi, vel judicantur, vel judicationis signa ostendunt, *pereunt*, quod nulla crisis contigat, *nisi febris prehenderit*, ac si vellet indicare præsidium, quo natura utitur ad morbum debellandum. Potestne clarius Apoplexiam, ejus Exitum, & Auxilium ad eam solvendam designari?

§. IV.

Nimius essem, si caussas omnes, quæ illam facere solent, tam brevi temporis ambitu percurrere vellem; satis ad rem nostram sit, illas breviter in duas perstringere classes, quarum pri-

prima eas contineat, quæ spirituum secretionem e sanguine ad cerebrum tendente impediunt, altera quæ secretos in eo spiritus, in nervos pervenire, & per eos transfluere prohibent; hinc quidquid sanguinis appulsum ad Cerebrum sistit, quidquid illô delatum impedit quominus circumagi per vasa propria possit, quidquid secretos ab eo spiritus in nervos ingredi, & per eos transfluere vetat, medullæque oblongatæ fila, vel nervos inde genitos comprimere, erodere, vel destruere potest, tanti mali caussa jure censenda est.

§. V.

VErum quum tot, tantæque sint, quæ lethalem in cerebro scænam ludere possunt, quamvis non perfecta, commodiori tamen distinctione, in *Sanguineam*, & *Pituitosam*, Practici Celebriores diviserunt: Postremam hanc indigitare videtur Hippocrates, dum febris auxilio solvi posse pronunciavit, cum *Spasmum*, aut *Tetanum* eadem hac caussa genitum, febre quoque superveniente tolli, *Aphoris.* 57. *lib.* 4. tradiderit.

§. VI.

CUm enim morbus omnis sine præcedenti materiæ morbificæ concoctione solvi minime possit, nullum præstantius calore remedium Veteres Medicinæ Parentes cognoverunt, febremque proinde in morbis præsertim a *pituita* commendarunt; Aucta namque in Corde, & Arteriis frequentia, & magnitudine, vel certe frequentia oscillationum, ob id etiam adaucto calore, eô simul diriguntur, ut hærentem in Capite crudam materiem agitent, subigant, mutent, concoquant, ex eo critica evacuatione depellant, vel in partem ignobiliorem deponant.

§. VII.

HIsce fortasse rationibus innixi Recentiores, *Calefacientibus*, *Epispaticis*, *Frictionibus*, *Irritantibus*, *Sinapismis*, *Cucuphis aromaticis*, aliisque similibus, morbum hunc, nimis interdum quam par est, generatim adgrediuntur.

§. VIII.

OPtandum tamen, ut febris, tanti mali pharmacum esset, sæpiusque proinde hisce in morbis exurgeret; sed adeo incertum est auxilium, ut Auctores inter se maxime discrepent, num bona, cujus generis, & quando excitari debeat. *

* Hujus paragraphi reliquum, & nona, quæ sequebatur integra, sub §. VII. Tractatus, ubi de Apoplexiæ Exitu agitur, numeris 4. 5. 6. & 7. pag. 45. 46. 47. 48., tamquam in aptiorem locum transtuli, ibique, ne transcriberentur, legi possunt.

LA lettura della vostra Dissertazione, nella quale si spiega il testo d'Ippocrate de *Judicationibus*, mi ha dato grandissimo piacere, perche dimostrate non solo la perfetta intelligenza delle profonde dottrine antiche, ma fate altresì conoscere il vostro valore in tutto ciò che riguarda le moderne cognizioni dell'Arte nostra. Sono rimasto ancora contentissimo della vostra eleganza nello scrivere, e vi dico, *che una spiegazione di questa sorta, meritava sicuramente la Cathedra*. Mi lusingo che in altre occorrenze li vostri talenti non saranno trascurati; almeno non sarebbero trascurati da me, che sono, e sarò con infinito rispetto

Napoli 12. Gennaro 1787.

Domenico Cirillo Pubblico Lettore
di Medicina nella Reale Università di Napoli.

COM-

Ἕλκος δὲ ἤν τέ καὶ προγεγονὸς τύχῃ ἔχων, ἤν τε καὶ ἐν τῇ νούσῳ γένηται καταμανθάνειν χρή. Ἢν γὰρ μέλλῃ απολλυθαι ὁ ἄνθρωπος πρὸ τοῦ θανατον πελιδνόν τε, καὶ ξηρὸν ἔσται, ἢ ὠχρόν τε, καὶ ξηρὸν.

Hipp. lib. Prognost. Cap. 3. Edit. Makianæ.

§. I.

QUum anno nuper elapso, iisdem fere temporibus, hac ipsa in arena, maximum humanitatis, & patientiæ erga me vestræ argumentum, Sapientissimi Patres, habuerim, in eandem iterum, ea ipsa ratione, hodierna die descendenti, illud ipsum minime mihi defuturum confido. Ut autem de Hippocraticæ doctrinæ constantia, & dignitate, deqne præcipuis ejusdem Illustratoribus, tum plura, & fortasse nimis, locutus sum, ne Vos propterea longiori sermone detineam, ad propositum textum, sine ullo verborum apparatu, continuo descendam.

§. II.

§. II.

NEc vero ignorandum, inquit Hipp. *an ulcus, vel ante morbum, vel in ipso morbo nato, laboret. Nam, si homo moriturus est, lividum, & siccum, aut pallidum, & siccum, ante mortem evadet.*

Quum Summus Medicinæ Parens, præcipua Artis nostræ fundamenta, tam ad morbos curandos, quam ad eorum exitum prænoscendum, in patienti, & fida phænomenorum omnium, quæ in ægro conspiciuntur contemplatione, locaverit, postquam de signis prognosticis, quæ ex vultu, oculis, decubitu, & inordinato acute jacentium motu, verba fecerit, vult Medicum etiam curiosius investigare, num æger ulcere aliquo, quocumque modo contracto, laboret, sive illud ante morbum, sive in eo, quo afficitur, morbo, natum sit, & ex ejusdem natura, & indole, futuræ mortis signa divinare; ex eo enim naturalis æconomiæ judicium, nulla licet hodierna theoria suffultus, merito deduci posse putavit; unde statuit, tam lividum, & siccum, quam siccum, & pal-

& pallidum ulcus, in acutis infausti ominis argumentum esse.

§. III.

RE enim vera, cum lividus ulceris color, sanguineam massam, lixivioso, & acri sale redundantem, siccitas autem, humorum ad partem appulsum virium defectu pene extinctum, significet; mirum propterea non est, si, quemadmodum in peste, febribus malignis, & variolis, in quibus *Anthraces, Vibices, & Exanthemata*, modo nigra, modo livida observare est, lethalis hujusmodi color producatur. Potentialis caustici vis, rem exemplo demonstrat; rubet enim primo cutis, dein lividum, atrum postremo colorem acquirit; quum ergo lividus ulceris color, sit depascentis, & erodentis salis caustici redundantis argumentum; siccitas autem languentis naturæ sigum; merito Divinus Senex, tali ulcere signatum, periturum, affirmavit.

§. IV.

NEque vero alia res est, ubi pallidum, & siccum ulcus est; quum bonus boni ulceris color, bonam humorum crasim significet; siccum contra, pallidumque, vel spirituum defectum, vel eorumdem *necrosim*, vel utrumque, vel *metastasim*, sanguinisque circuitum pene deletum ostendat; jure ulcus hujusmodi, mortem jacentis ostia pulsantem, indicabit.

§. V.

QUod Hippocrates pluribus locis, divino in Codice tradidit, experentia quotidiana confirmat, & ipse pluries in Xenodochio S. Jacobi Incurabilium, ubi fere omnes ulcerati decumbunt, multis abhinc annis *Optime*... observavi; Vosque Sapientissimi Archiatri, malignis in febribus, dum ulcera, Cantharidum ope excitata, siccantur, & pallent, vel livent, ægrum fere semper extingui, sæpius, fortasse, dolentes, *Valde Bene* vidistis.

PRO-

PROSPECTUS OPERIS.

